

sum. Alio modo si proprie sit hoc pacto, est. si non hoc pacto sit, non est. sed intelligere quidem ipsa, est verum, falsum autem non est, neque deceptio, sed ignoratio, non talis qualis est cæcitas. Cæcitas enim perinde est, atque si intelligendi quispiam potentiam omnino non habeat.

25 Ipsum autem esse vt verum, & non esse vt falsum si compositum sit.) Ens, inquit, vt verum, & nō ens vt falsum vno modo accipitur. si vt prædicatum cum subiecto componatur, & ipsum componi dicamus, id sit ens vt verum. In minus componatur, dicatur autem componi, non ens sit quasi falsum. (vnum autem) id est, alio modo (si proprie ens hoc pacto) id est, si simplex est, sic est veritas in ipso, non quòd de ipso quidquam affirmetur, sed quod intelligitur per dictionem, ac velut cernitur. (si non hoc pacto, non est.) id est, si non est simplex non, id est verum dicere in ipsum, id attingere duntaxat. quod ipse declarat, dicens, (sed intelligere quidem ipsa est verum, deceptio autē erga ipsa non est, sed ignoratio: ignoratio autem non qualis est cæcitas) vt nunquam ipsa possit intelligere, sed qualis est ignoratio cum quispiam de aliquo non considerat. Nam cæcitas similis est ignorantie, cum intelligendi potentia penitus abest: qua qui careat, is intelligere nunquam possit, vt ne is quidem videre, qui sit luminibus orbatus.

Patet autem & de immobilibus non interdum esse deceptionem, si quis illa immobilia esse putet, veluti triangulum si non mutari ipsum existimet, non interdum duobus rectis æquales habere angulos, interdum non habere putabit. mutaretur enim profecto. sed quippiam putabit, quippiam non putabit, veluti primum quidem parem numerum nullum esse, aut quosdam esse, quosdā non esse putare potest. Circa vero vnum numero nō potest. non enim quendam putabit, quendam non putabit, sed verum aut falsum dicet, propterea quòd ita se habet semper.

26 Patet autem de immobilibus nō interdum esse deceptionem, si quis illa immobilia esse putet.) Si deceptio secundum quandoque versatur in rebus quæ aliter habere possunt, immobilia vero ac sempiterna nequeunt aliter habere, profecto in ipsis non erit locus deceptioni secundum quandoque: sed vt paulo ante diximus, vel semper decipietur, vel semper verum dicet. Nam si quis non putet triangulum mutari posse, sed immobilem esse duxerit, is nunquam opinabitur tres illius angulos quandoque pares esse duobus rectis, quandoque secus. si hoc enim intelligeret, nimirum & illud opinaretur, posse etiam commutari. At positum est ipsum putare immutabilem esse. non igitur hoc opinari potest, (sed quippiam putabit, quippiam nō putabit) id est, fieri potest, vt nullum numerum parem primum esse putet, vel quosdam numeros pares primos esse, quosdam secus. illud autem fieri nō potest, vt numerum duo ipsum per se modo primum parem esse putet, modo secus. Illud vero (non enim quendam putabit, quendam non putabit) huiusmodi est. Qui numeros perinde immobiles esse putat, atque triangulum, is non putabit numerum qui primus sit, fore aliquando non primum. qui vero numeros ipsos mobiles esse crediderit, huic facile hoc erit persuasum. Itaque vel erit verax, si duo numerum parem esse putauerit: aut semper decipietur, si hunc aliter sese habere censuerit. Ac octauū quidem librum primæ philosophiæ hæctenus enarrauimus.

In immobilibus ac sempiternis locis non est deceptio secundum quandoque.

Finis libri Octaui, Latinis Noni.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI IN LIBRUM NONVM PRIMAE PHILOSOPHIAE, Latinis Decimum, Interprete Io. Genesio.



Præterea quidem modis ipsum vnum dici solere, in hisce sermonibus dictum est antea, in quibus vnūquodque quot modis dicitur, explicauimus. Cum autem multis modis dicatur, modi primorum, & eorum quæ per se vnū dicuntur, & non per accidens, quatuor esse videntur, si in summam atque capita redigantur. Dicitur enim vnum continuum ipsum, continuum autem aut simpliciter, aut id maxime quod est natura, & non tactu neque ligamine tale. Ex hisce magis id est vnum, priusve, cuius motus est indiuisibilior, magisque simplex. Præterea vnū est atque magis totum ipsum habens aliquam speciem atque formam, & maxime si quippiam est tale natura, & non vi, vt ea quæ glutine talia sunt, aut vinculo, aut clauo,

sed in seipso vt continuum sit sibi causam habet. Tale autem est ex eo, quia motus est vnus & indiuisibilis tempore, atque loco. Quare patet, si quippiam primum motus principium habeat primi, qui quidem est conuersio (hæc enim lationum est prima) id esse primam magnitudinem vnã. Quædam igitur hoc pacto sunt vnum, aut continuum, aut totum. Quædam autem vnum dicuntur, si ratio eorum sit vna. Talia vero sunt ea, quorum est intellectio vna. Et talia sunt ea, quorum diuisibilis est intellectio. Eius autem est indiuisibilis intellectio, quod est indiuisibile specie, aut numero. Atque numero quidem est indiuisibile ipsum singulare. Specie autem id quod cognitione est scientiaque indiuisibile. Quare vnum erit primo, quod est causa substantiis vnitatis. Tot igitur modis dicitur ipsum vnum, continuum natura, totum, singulare, atque vniuersale. Hæc autem vniuersa ex eo sunt vnum, quia quorūdam motus, quorundam intellectio vel ratio est indiuisibilis, vti patet.

Enarra. 1.



Quoniam idearum auctores ipsi vnum inducebant, hoc ipsum naturam eius esse tradentes, eiusdemque substantiam eo consistere, quod vnum sit. Neque enim vt Socrates cum vnū sit, ipse subiicitur, & vnum de ipso prædicatur, sic isti naturam quampiam ipsi vni subiici dicebant, deque illa ipsi vnum prædicari. Neque Physicorum more vnum principium statuentes, ignem ei vel aquam aeremve substituebant, sed eius substantiam in eo positam esse, quod sit vnum, atque vnum eius esse naturam, idemque vnum tantum non etiam ens appellantes. Quorum scientiam si cui diligentius cognoscere cordi est, dialogum legat Platonis qui Parmenides, siue de ideis inscribitur. Quoniam igitur isti ad hunc modum de vno differabant, idcirco Aristoteles in hoc libro disputare proponit, num tale quiddam vnum habeatur, an secus: sed prius partitionem vnus exequitur, quæ sunt eius propriæ notiones exponens, & quomodo interdum in sensibilibus accipiatur. Atque vnum quidem vbique vt mensuræ principium usurpari tradit, tum in numeris, tum in magnitudinibus, tum etiam in concentibus. Diesim namque concentuum principium efficitur. De his igitur & similibus prima est huius libri commentatio. Primum ergo inquit, an huiusmodi idea esse possit quidquam, cuius natura sit vnū, deinde contraria quæ sint, & omnino de oppositis, & quomodo sint, inuestigat. Atque hæc quidem sunt de quibus est nobis differendum. Sed iam ad dictorum enarrationem accedamus. (Pluribus quidem modis vnū dici solere, in hisce sermonibus dictum est antea, in quibus vnum quodque quot modis dicitur explicauimus.) In quarto huius operis libro de intellectibus vnus differuit inter alia, quæ quot modis dicerentur, illic explicauit. quorum intellectuum nos rursus admonet, dum testatus se illic vnū multifariam dici declarasse, (Modi, inquit, primorum, & eorum quæ per se vnū dicuntur, & non per accidens, quatuor esse videtur) id est, modi primi significandi vnus, non qui per accidens dicuntur, hi enim quæ plurimi sunt, primi ergo modi sunt quatuor. hi autem qui sint exponit cum ait, dicitur enim vnum continuum, ipsum vero continuum aut simpliciter, id est vniuersaliter dicitur. Continuum porro simpliciter non proprie dicitur, quod tactu, & colligatione, conglutinationeue coheret. continuum ergo dicitur, vel quod simpliciter est continuum, vel id quod maxime natura est. sunt vero continentia natura, animalia & stirpes, & omnino quæ natura fiunt, non quæ ab arte procedunt. Ac eorum rursus quæ natura continentia sunt, id maxime ac propriissime vnū vocatur, cuius motus minus est diuiduus, magisque simplex, cuiusmodi est corpus quod in orbem versatur. motus enim animalium non sunt simplices, nec indiuidui. qua enim statibus interpellantur, simplices non sunt. qua vero non simul omne ipsum animal, neque omnes simul partes mouentur, dum enim dexter pes mouetur, proceditque, sinister consistit: ac vicissim dexter stat, vt sinister progreditur, diuidui sunt, quippe cum in statibus diuidantur. At cælum cum neque articulos habeat, & vnum sit atque continuū, non potest vna parte moueri, altera consistere, sed omnes eius partes simul mouentur. quo intelligitur circūlatum corpus quod nostratia magis proprie vnū appellari. hoc autem se proprie vnū vocare ipse paulo post declarabit. (Præterea, inquit, tale & magis) id est, præterea vnū dicitur & magis vnū quod totum est, & aliquam formam & speciem habet. & per hoc primum omnes naturales magnitudines complexus est, tum quæ in orbem mouentur, tum quæ infra lunam continentur. Sed quoniam & nauis & domus forma quædam est, idcirco dixit (& maxime si quidpiam est tale natura & non vi, vt ea quæ glutino talia sunt, aut vinculo, aut clauo) Clauo vnū esse dicitur exempli causa nauis, aut arca, vinculo fascis, glutino liber. Quæ igitur formam & speciem habent natura, non vi, vt quæ clauo coherescunt, quæ admodum nauis, sed in se continentia causa habent, vnū dicuntur. Ea vero causam in se habent vt continua sint, quorum motus vnus est atque indiuiduus, tum loco, tum etiam tempore. Si enim hoc in vno loco, illud in alio mouetur, necesse est vt motus sit diuiduus, quæ admodum sese habet ingressus animantium. In alio enim tempore pes dexter mouetur, in alio leuus. (Quare, inquit, patet si quidpiam primum motus principium habeat primi, id esse primam magnitudinem vnā) sensus est. In libro octauo Physici auditus motus loci omnium motuum primus esse demonstratur, accretione, detractioneque & ceteris alijs prior, tum motuum loci circularis esse primus. his igitur eo in loco demonstratis,

Platonis
Parmenides.Vnius in
intellectus
multiplex.Cælum magis
proprie
vnū dicitur
nostratia
corpora.

quoniam circumlatum corpus circularis motus in se principium habet, circularis autem motus est primus motus loci, qui motus loci prior cæteris habetur, idcirco corpus circumlatum primam haud dubie magnitudinem esse ait. Motus enim partium ipsius non fit in diuersis temporibus, sed omnes eodem tempore mouentur. quo patet, vt diximus, circumlatum priorem esse latione: ac proinde magnitudinem, cui principium huius adest, priorem ea esse, quæ lationis habet principium. (Quædam igitur, inquit, hoc pacto sunt vnum, aut continuum, aut totum) Totum autem quale sit, dictum est in quarto libro. (Quædam autem, inquit, vnum dicuntur, si ratio eorum sit vna.) Eorum vero rationem vnam esse ait, quorum intellectus & scientia vna est. Rursus eorum intellectum vnum esse, quorum intellectus est indiuiduus: indiuidui porro ac proprie vnus indiuiduum esse intellectum, vel forma vel numero. quibus verbis declaratur hominem vniuersalem & equum ac omnino species specialis, simas, tum etiam Socratem & Platonem, & simpliciter indiuidua vnum esse, animal vniuersale non item, propterea quod diuiditur in animal volatile, pedestre, & aquaticum, quorum intellectiones & scientiæ diuersæ sunt. Alia est enim intellectio atq; doctrina volatilis, alia pedestris animalis. homo autem species specialissima non secatur in alias species. Singuli vero homines multo minus in homines diuiduntur. Si ergo vnum ea esse dicimus, quorum est motus vnus, & quorum intellectio ac scientia eadem est, quæ quidem per formam contingunt, vtique vnum primum erit, quod substantijs est vnitatis causa, hoc autem est ipsa forma. Post hæc dicta in pauca colligit, dicens, (Tot igitur modis dicitur ipsum vnum, continuum, natura, & totum.) Nam qui vnam tantum habet manum, est ille quidem continuus, non tamen totus. Itaque licet differant singulare & indiuiduum, & vniuersale ac species, hæc tamen omnia vnum dicuntur, quia vel motus est indiuiduus, vel intellectio, aut ratio & forma.

Intelligere autem oportet, non esse sumendum modo eodem dici quænam vna dicuntur, & quid est esse vnus, & quænam ipsius est ratio. Dicitur enim ipsum vnum tot modis: & quodq; dictorum, cui modorum istorum aliquis competit, vnum erit. Esse vero vnus nunc horum alicui, nunc alii, quod etiam magis propinquum est nomini competit. Illa autem potentia sunt vnum, quemadmodum & si de elemento causaque opus sit dicere, res distinguere, & nominis assignare definitionem oportet. Forsitan enim ignis, aut ipsum etiam infinitum, aut aliquid tale partim per se est elementum, partim non est. Non est enim esse ignis & elementi idem, sed vt est res quædam ipse ignis atq; natura, est elementum. Nomen autem significat hoc ipsum accidisse, esse inquam aliquid ex hoc primo ea lege, vt insit. sic & in causa, & vno, & in istiusmodi vniuersis res sese habere videtur. Quapropter & esse vnus, est esse indiuisibilis proprie huius entis atque inseparabilis, aut loco, aut specie, aut mente, aut etiam ipso toto, ac definito.

2 Intelligere autem oportet non esse sumendum modo eodem dici quænam vna dicuntur, & quid est esse vnus, & quænam est ipsius ratio.) Quoniam vnus natura diuersa est a natura eorum de quibus vnum prædicatur (aliud est enim Socrates, aliud vnus quod de Socrate dicitur) idcirco intelligendum esse ait, aliam esse quæstionem inquirentem quænam res naturales vnum dicantur, aliam quæ vnus esse, rationemq; ac naturam vnus inuestigat. quo posito vnum tot modis dici ait, quot definitum est. definitum est autem dici quadrupliciter: & omnis res cui definitorum modorum quisquam adest, vnus dicitur. (Esse vero, inquit, vnus nunc horum alicui competit) hæc appellans continuum natura & totum, quod formam & speciem habet, & cætera commemorata. Iam vero natura vnus alij cuiuspiam adest, quod diuersum sit a connumeratis. quod etiam magis propinquum est nomini, id est, quod magis quam cætera ad vnum accedit, & vnus naturæ proximius illis est, & de quo vnum proprius dicitur, estq; medium inter vnus naturam, & naturam totius ac continetis, & talium. Hoc autem quod ad vnus magis accedit, quale sit, paulo post explicat, vbi ait, (Maxime vero esse vnus in hoc consistit, vt sit generis cuiusq; prima mensura, & propriissime quanti.) est igitur aliud quod ad nomen proprius accedit (Illa vero) quæ connumerata sunt (potentia sunt vnum) hoc est, naturæ quædam de quibus vnum prædicatur. Illud quoq; a cæteris diuersum quod proprius ad nomen accedit, natura quædam est, de qua ipso vnum prædicatur. neq; enim substantia eius in eo posita est, quod vnum sit. quare fatius esse videtur, vt hæc verba (illa autem potentia sunt vnum) in hunc sensum accipiantur, illa, continuum scilicet, & cætera ei comparata, quod proprius accedit ad vocabulum, potentia vnum sunt, illud vero per se. Nisi forte quia vnum, vt ipse declarabit, quod nomini propinquum est, nihil aliud esse intelligitur quam mensura & principium quantitatis in eo quod quantitas est, præsertim quantitatis discretæ: quæ quidem mensura est vnitas. propter quam dies vnus dicitur, & mensura atq; principium sonorum, ponderis autem libra. nisi forte inquam ob hæc a lōge subobscurè significauit, quoniam vnitas nomini propinqua est. idcirco alia, id est, diem & libram & pedalem lineam, & cætera quæ illic commemorauit potentia ac non per se vnus esse. Illud autem (quemadmodum & si de elemento cau-

Vnius natura diuersa est ab ijs de quibus vnus prædicatur.

Ignis quodammodo elementum, quodammodo non.

saque opus sit dicere, res distinguere, &c.) cum illo superiore coniungitur (intelligere autem oportet) & reliqua, ut omnis continuitas orationis sit huiusmodi. Intelligere autem oportet non esse sumendum modo eodem dici, quænam vna dicuntur, & quid est esse vnius, & quænam ipsius ratio, quemadmodum de elemento & causa. Neque enim parvi refert naturam quæras & orationem elementi, qua id exempli gratia esse definitur, ex quo primo minimo res componitur, & in quod vltimum minimum resoluitur: an hoc perconteris, elementum ac huiusmodi natura de quibus prædicatur, & cui accidit esse elemento, num igni? an cuiquam alteri? Esse autem huiusmodi quæstiones diuersas, hinc intelligi potest, quod aliter rem, aliter nomen definimus. quo in loco nomen appellat ipsum prædicatum, hoc est elementum: quoniam elementum de igne prædicatur. ignis enim elementum esse dicitur. Atque ignis, inquit, quodammodo elementum est, alias non. Cum enim ipse ut ignis consideratur, & quæ sit natura eius, a quoquam inquiritur, ut est scilicet calida & sicca, nihil laborante ex eo ne quidquam generetur, an secus, tunc non est elementum. cum vero ut res & natura quædam ex qua gignuntur alia, & in quam dissoluuntur, tunc elementum esse dicitur. Aut ignem quodammodo esse elementum, quodammodo secus, idcirco dixit, quoniam cum proprie primumque principium ac elementum omnium sit materia informis, ignis si cum hac conferatur, non est elementum: sed idem elementum quodammodo est, propterea quod omnia composita, ex ipso & terra, aereque, & aqua proxime constituuntur. Nomen autem, id est elementum quod de igne prædicatur, significat esse aliquid, quod effectum sit ex hoc primo igne, existente igne in eo quod ex ipso effectum est. Nam quia igni accidit hoc, id est ut aliquid existat ex ipso in sito primo rebus quæ efficiuntur ex ipso, idcirco elementum nuncupatur. Illud autem, (Est autem fortasse secundum se & infinitum) adiectum est, quoniam quibus vnum elementum esse placebat, ipsum infinitum esse statuebant. Fortasse igitur, inquit, est infinitum elementum. quasi dicat, licet huius magna quæstio sit, nunc tamen demus elementum esse. Ut igitur in elemento, sic in causa & vno & cunctis similibus rem intelligere oportet. Sed verba illa (quapropter & esse vnius est esse indiuisibilis) nisi fallor, minime coherent cum proxime dictis, sed est, ut puto, repetitio eorum quæ de vno dicta sunt, ut apposite illud vnum quod ad nomen proxime accedit, quale sit doceatur. Erit igitur sensus, esse vnius, siue vnius natura hoc est quod esse indiuiduum, quod quidem vnum non est separatum, sed hoc aliquid. exempli causa, vnus homo, aut lapis, quidquamve aliud, quod priuatim separatum est, siue indiuiduum loco, vel forma, vel mente, aut toto & indiuiduo. hæc autem quæ sunt, plerumque dictum est.

Maxime vero esse vnius in hoc consistit, ut sit generis vniuscuiusque prima mensura, & propriissime quanti. Hinc enim & ad alia accessisse videtur. Est enim id mensura quo cognoscitur quantum. Cognoscitur autem quantum, ut quantum est, aut vno, aut numero. At numerus omnis cognoscitur vno. Quare omne quantum ut quantum est, vno sane cognoscitur, & id ipsum est vnū quo cognoscitur primo. Quapropter ipsum vnum, numeri principium est, ea ratione qua numerus est. Hinc & in cæteris mensura dicitur id, quo primo quodque cognoscitur: atque mensura vniuscuiusque est vna, in longitudine, in latitudine, in profunditate, in pondere, in celeritate. Ponderus enim atque celeritas commune est in contrariis. Duplex est enim ipsorum vtrunque, veluti pondus est & quod quantumuis habet momentum, & quod excessum habet momenti: & celeritas item & quæ quantumuis habet motum, & quæ motus habet excessum. Est enim quædam & ipsius tardi celeritas, & pondus etiam leuioris.

Vnum, prima mensura quanti.

Maxime vero esse vnius in hoc consistit, ut sit generis cuiusque prima mensura, & propriissime quanti. Præfatus, esse vnum, hoc esse, quod indiuiduum esse vel loco vel forma, & cætera, quæ commemorata sunt, sed maxime, inquit, vnius esse, vniusque natura est esse mensuram primam cuiusque generis & subiecti. potissimum vero vnum est prima mensura quanti. Nam etsi sonorum & concertuum habetur mensura, propriissime tamen vnum & mensura quanti est. Atque hoc quidem est vnum, quod paulo ante proxime ad nomen accedere dicebat. hinc enim alia deducta sunt, & vocantur vnum, stadiumque mensura dicitur centum stadiorum, sonorum diebus, ponderis ipsa libra. Metrum igitur & proprie vnum est, quo quantum dignoscitur. cognoscitur autem quantum in eo quod quantum, vel vno, ut numerus decem vnitatem: vel numero, ut numerus centum numero decem, ut qui vnitatem sit cum centum comparatus. sed magis proprie vnitatem numerus quisque cognoscitur. Si ergo cognoscitur vnitatem per se, patet vno cognosci: si autem numero, ut centum numero decem, haud dubie rursus decem quasi vnum vsurpamus: ut dubium non sit, quin omne quantum in eo quod quantum vno mensuretur: & quocumque primo quanta sunt quæ numerata sunt, seu viginti, seu centum, si quisve alius numerus cognoscitur, id vnum est, aut vnius proportionale. Itaque stadium, si hoc centum stadia cognoscatur, vnum est, ac idcirco vnum numeri qua numerus, principium est. hinc autem, id est, a numero in cæteris mensura dicitur, quo primo vnūquodque cognoscitur, atque mensura vniuscuiusque est vnū, & vtimur mensura ut vno, quoniam in longitudinibus, quo primo

mensurata longitudo cognoscitur, id quasi vnū vsurpamus. quæ ratio eadem est in latitudine & altitudine, pondere ac celeritate. Cum autem dixisset (in longitudine, in latitudine, in profunditate) adiecissetque (in grauitate & velocitate) causam reddit, cur cum tria interualla commemorat, longitudinem, latitudinem, ac profunditatem, tamen grauitatem dicens, non adiungit leuitatem, neque tarditatem in mentione velocitatis. dicit ergo, (Pondus enim atque celeritas commune est in contrarijs) quasi dicat, idcirco cum grauitatem dicerem, non adieci leuitatem, neque tarditatem cum celeritatis meminissem, quoniam grauitas leuitatem significare potest: idque vtriusque, id est grauitatis & leuitatis est commune: & pari ratione tarditas in celeritate intelligi potest. ac protinus grauitas quomodo & se & leuitatem significet, exponit cum ait, (duplex est enim ipsorum vtrunque) graue enim dicitur tum quod est aliquo grauius, tum quod grauitatem qualemcunque habet. Et velox non modo quod est aliquo velocius, sed etiam quod velocitatem vtrunque obtinet. Quæ si vera sunt, graue terram significabit, quæ simpliciter est grauis: atque item aerem, qui si ad aquam spectes, est leuis: idem grauis, si ad ignem. vtrunque igitur significat, id est terram, quæ simpliciter est grauis: & aerem, qui si cum ipsa comparatur, est leuis. Celeritas quoque motum significat inerrantis globi, eademque Socratis motum declarat, qui Socratis motus etiam tardissimus est, & prope nullus, si cum illo alio conferatur, tamen quia est alio celerior, testudineo videlicet motu, idcirco etiam ipse celer esse intelligitur. Quo planum fit, celeritate tarditatem etiam significari. grauitas igitur nuncupatur & id quod inclinationem vtrunque & grauitatem habet, & quod excessum habet, atque aliquo grauius est: ac vicissim celeritas, quod qualicumque motu ac celeritate cietur, & quod motus exuperantiam habet, estque aliquo celerius. est enim quædam & ipsius tardi celeritas, vt Socratis: & pondus leuioris, vt aeris.

Grauitas leuitatem significat, & celeritas tarditatē.

In his autem vniuersis mensura atque principium vnum quid est, & indiuisibile. Nam & in lineis ipsa pedali vt indiuidua vti solent. Vbique enim vnum quid ipsam mensuram atque indiuisibile quærent. hoc autem simplex, aut qualitate aut quantitate est simplex. Vbi igitur fieri non posse videtur, vt auferatur quicquam, aut addatur, hoc est exacta mensura. Idcirco numeri mensura est exactissima, quippe cum vnitatem definiunt, indiuisibilem esse penitus dicant. In cæteris autem tale per imitationem sumunt. In passu nanque ac libra, semperque in maiore magis latere potest, si quippiam ablatum atque additum fuerit, quam in minore. Quare a quo primo id fieri sensu non posse putant, id omnes & humidorum & siccorum mensuram, & ponderis ac magnitudinis faciunt. Atque quantum ipsum scire tunc arbitrantur, quando per mensuram hanc sciunt. Motum quoque simplici motu velocissimoque mensurant. breue enim hic tempus habet. Quapropter & in Astrologia tale vnum principium est, & mensura. Cæli nanque motum vniuniformem esse, celerrimumque supponunt, quo cæteros iudicant motus. In Musica etiam mensura est primus sensibilis sonus, quia minimum est, & elementum item in voce. Atque hæc omnia hoc pacto sunt vnum, non vt commune quid ipsum vnum de istis dicatur, sed vt est dictum.

4 In his autem omnibus mensura atque principium vnum quid est, & indiuisibile. Cum docuisset vnum in longitudine, latitudine, & profunditate principium atque mensuram esse, causamque reddidisset, cur in mentione grauitatis & celeritatis, leuitatem & tarditatem reticisset, in his inquit omnibus, id est in grauitate & cæteris, vnum & indiuiduum est mensura & principium. In cunctis autem mensuram & principium quasi indiuiduum vsurpari, exemplo pedalis lineæ confirmat. (Nam & in lineis, inquit, ipsa pedali vt indiuidua vti solent.) itaque non dicit pedalem lineam indiuiduam esse, cum omnis linea secari valeat, vtpote quæ non consistat ex punctis: sed indiuiduam existimari oportere comparatam lineæ magnitudini, quæ pedali mensuratur. Nam quemadmodum numerus decem ad centum comparatus, instar est vnitatis, sic pedalis linea, si hac mensuretur linea, quæ ab Athenis ad Aegyptum vsque pertineat, indiuidua videri potest illi collata, & puncti rationem obtinere, vt terra tam vastæ magnitudinis, tamen ad globum inerrantem comparata, punctum esse putatur. quo fit, vt mensura vbiq; vt vnum quiddam ac indiuiduum quæretur. (hoc autem simplex) id est, hæc autem mensura, quæ vt indiuidua quæritur, simplex est vel quali, vel quanto. quanto enim vnitas est simplex. Quali vero dicit, quoniam humidorum siccorumque & alborum naturas metimur, quorum mensura simplex est, quali, non quanto. Nam quod est quanto simplex, indiuiduum est. at sicca & humida diuidua sunt. quin & album diuiduum est ex accidenti, propterea scilicet quod id cui adest, diuidi potest. Hæc fatus, quale sit proprie & adamussim vnum quasi indiuiduum, exponit, & quale secus. (Vbi igitur, inquit, fieri non posse videtur, vt auferatur quidquam aut addatur, hoc est exacta mensura) & vnū simpliciter ac indiuiduum. (Idcirco, inquit, numeri mensura est exactissima) vnitas scilicet. huic enim nec addi quidquam nec demeri potest, vt quæ indiuidua esse statuat. ab stadio vero & talæto,

Terra, punctum esse putatur ad globum inerrantem comparata.

Sphære in-
erantis mo-
tus breuis-
simus.
Diesis.

semperque a maiore plus auferri potest quam a minore. Ab ampliore nanque plus demere valeas, quam a breuiore. quod si plus demere potest, utique & plus adijci valebit. omnino enim quod dempseris, adijcere valeas. Illud vero (in cæteris autem tale per imitationem sumunt) interiectum est, cuius hic est sensus. A numeri mensura, hoc est ab vnitatem, cætera indiuidua esse dicuntur atque mensuræ, pedalis scilicet linea, & stadium. quod quomodo sit indiuiduum, declarauimus. Nam horum quodque comparatum magnitudini quam metitur, indiuiduum esse putatur, ut omnis terra cum globo inerranti collata. (Quare a quo primo id fieri sensu non posse putant.) id est, quod primum insensibile experis & indiuiduum, & omnino diuidi non posse putant, id mensura est. quomodo autem indiuidua dicantur, dictum est supra, collata scilicet cum ijs quæ mensurantur. libra enim Rhodio colosso aut Caucasio monti comparata, nullius ponderis sensum efficit, sed insensibilis omnino esse videtur: & tunc quantitatem nouerunt siccitatis vel grauitatis, cum per hanc mensuram quæ experis & insensibilis esse videtur, quantum sit quod mensuratum est intelligunt. (Motum quoque, ait, simplici motu velocissimoque ac breui mensurant) In Astrologia enim huiusmodi motus est vnum & principium atque mensura. Est autem motus simplex & velocissimus, ac proinde breuissimus, inerrantis sphaeræ motus. hic ergo mensura est & vnum. Et diesis in musica. Est autem diesis minimus qui fide editur sonus, quem primum sentimus, & quo si quis est alius breuior minorque, is sub sensum nostrum non cadit. In voce quoque elementum est mensura, quæ omnia vnum sunt, ut indiuidua. Neque vero vnum de ipsis ut commune quoddam & genus dicitur, sed ut vox æquiouoca, quemadmodum dictum est, vel potius ut quæ ab vno & ad vnum dicuntur.

Non semper autem mensura vna est numero, sed interdum & plures, ut primi sensibiles soni duo, qui non ad auditum, sed ad rationes accommodantur, & voces plures quibus metimur. Diameter quoque duabus mensuris, & latus itidem, omnesque magnitudines mensurantur. Sic ipsum igitur vnum, omnium est mensura, propterea quod cognoscimus ea ex quibus substantia constat, diuidentes aut per quantitatem, aut per formam. Et ideo ipsum vnum indiuisibile est, quia primum singulorum indiuisibile est. Non similiter autem omne indiuisibile est, veluti pes atque vnitatem, sed aliud est penitus, aliud ad sensum indiuisibile sumi solet, ut iam antea diximus. Omne nanque cõtinuum fortasse diuisibile est, semper autem mensura generis est eiusdem. Magnitudinum enim magnitudo est, ut patet, mensura, & singulorum, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vox item vocis, ponderis pondus, vnitatem vnitatum. Sic enim dicere oportet, sed non numerum dicere numerorum esse mensuram. Oportebat tamen, si similiter mensura est assignanda. Sed qui hoc censet, non sane similiter censet, sed perinde atque si vnitatum vnitatem mensuram, sed non vnitatem censeret: numerum autem vnitatum multitudinem esse constat. Dicimus & scientiam ob id idem, sensumve, rerum esse mensuram, quia aliquid per ipsa cognoscimus. nam mensurantur potius quam mensurant. Verum id nobis accidit perinde atque si alio nos metiente, ipsi quanti sumus, ex eo cognoscimus, quia cubitum toties nobis accommodauit Protagoras vero mensuram omnium hominem esse dixit, perinde atque si scientem aut sentientem dixisset, & hos propterea quod alter sensum, alter scientiam habet, quæ quidem subiectorum mensuras dicimus esse. Nihil itaque egregium dicens, aliquid dicere videtur.

Mensura duplex est.

Non semper autem mensura vna est numero, sed interdum & plures, ut dieses duæ quæ non secundum auditum, sed in rationibus intelliguntur. Mensura duplex est, ratio scilicet mensuræ, ipsaque mensura. exempli gratia, ratio vna, ipsiusque species in anima nostra contenta, & vna ipsa lignea. Similiter diesis duplex est, ratio & species dieseos, & sonus ipse qui auribus percipitur. Item diameter, tum species diametri, tum linea ipsa intelligitur in quadrato descripta. quæ ratio in cæteris quoque valet. quamobrem mensura, inquit, non semper vna est numero, sed interdum plures. Dieses enim, ait, duæ sunt, non quod sit duplex quæ auditu percipitur, ea nanque vna est numero, sed quia hæc vna est, altera quæ per rationem ac speciem intelligitur. (Et voces, inquit) voces hoc in loco appellans vocum elementa a b c, & cætera. (plures sunt) ipsum a, & quod in hac charta scriptum est. Voces autem elementorum ut principia & mensuras vsurpari, propterea quod minimæ sint, manifestum est. hæc enim vox, Socrates deambulat, diuiditur in Socrates vocem, & in deambulat. & rursus hæc vox Socrates secatur in so & cra & tes, syllabas, quæ diuersæ sunt. Tū so syllaba diducitur in s & o, estque sonus ab o editus diuersus a sono s. at sonus o non diuiditur in aliū. Itaque his quæ minima sunt, & punctorum instar, voces metimur. Nam ut puncta, sic ab his editi soni sunt indiuidui. (Diameter quoque duabus mensuris mensuratur.) Si enim digito gratia exempli mensuretur, digitus est duplex, quiditas scilicet, & forma digiti, & digitus ipse qui diametrum metitur. latus itē duobus mensuratur, quæ

magnitudines sunt diameter scilicet & digitus. Ex cunctis igitur planum fit, mensuram omnium esse vnum. demonstratum est enim, quidquid pro mensura sumatur, id quasi vnum usurpari. Nam diuidentes rem quam metimur, in mensuram, ut decem vlnarum magnitudinem in decem vlnas partes, cognoscimus quot sunt vlnæ quibus ea magnitudo patet. Magnitudo autem vlnarum decem diuiditur vel secundum formam, vel secundum quantum. secundum formam, ut cum ipsam diuidimus in ea ex quibus constituitur, ignem, terramque, & interiecta elementa, aut in magnitudinem talem, secundum magnitudinem vero, ut cum in decem vlnas secatur. Atque ad hunc quidem modum præceptor noster locum enarrabat. Sed fortasse quoniam, ut diximus, vlna duplex est, id est forma ratioque vlnæ, atque ipsa particularis, sensibilisque vlna, idcirco decem vlnarum magnitudinem diuidi ait vel in rationes vlnarum decem contentarum in ipsa, cum sit indiuidua secundum magnitudinem atque vnum: vel non in rationes, sed secundum magnitudinem diuisa iam non est vnum & continens, sed plura: ut, si Socrates diuidatur in animal & pedestre & bipes, vnus ipse atque continuus persistat: idem si in caput & manus non cogitatione, sed re vera secetur, non iam vnus fuerit, sic in decem vlnarum magnitudine sese res habet. Vnum igitur indiuiduum esse dubium non est, cum omne primum ac mensura quæque indiuisibilis accipiatur: quanquam non perinde linea pedalis, atque vnitas indiuidua esse intelligitur, sed vnitas prorsus indiuidua, pedalis vero linea cum ad magnitudinem ab ipsa mensurata & ad sensum spectatur. comparata enim magnitudini mensuratae, insensibilis, ut supra diximus, & partibus vacare videtur. Nam per se ut magnitudo in infinitum diuidi potest. (Fortasse diuisibile est) fortasse dixit vel propter eos qui magnitudines ex indiuiduis constare tradunt, aut propter instrumenti ineptitudinem, quo ad animal dissectandum utimur. omnis enim magnitudo suapte natura diuidua est. Sed mensura, inquit, semper est eius generis cuius mensuratum. Neque enim dulcedine, sed magnitudine magnitudinem mensuramus, & vocem voce, pondere pondus, vnitates denique ipsas vnitate. (Sic enim dicere oportet, sed non numerum dicere numerorum esse mensuram.) Nam hoc esset vnitatem quæ numeri est mensura, numerum appellare. (sed qui hoc censet) id est, qui ut vocem, sic numerum numerorum mensuram esse putat, (non sane similiter censet.) Nam quemadmodum erraret, si quis vnitatum vnitates non vnitatem mensuram esse diceret, ita si quis numerum numerorum esse mensuram. Numeri enim vnitates sunt, vnitatum autem mensura numerus esse non potest, sed vnitas. Atque quia mensuram id esse dicimus, quod nobis rerum affert cognitionem, hoc autem præstat tum doctrina, tum etiam sensus, idcirco vtrunque mensuram esse dicimus. Nam re vera scientia & sensus mensurantur potius a rebus, quam mensurent ipsas. scientia enim & sensus quasi terminis & angustiis a scibilibus sensibilibusque præscriptis continentur, quos prætergredi eis non datur. Nam in rebus difficilibus cum scientia ad quampiam velut metam procedere permittatur, vltra progredi conata repellitur, ac præterire vetatur, a rebus potentiam eius mensurantibus, & quo potest procedere eo pertinere patientibus, vltra vetantibus. quod ipsum in sensu quoque vsu venit: quo fit ut mensurentur, non metiantur. quod perinde accidit, ac si ego a quopiam mensuratus, me duorum exempli causa cubitorum esse cognoscam, propterea quod ille mihi bis cubitum imposuerit, ac deinde dicam, ego meipsum mensus sum, propterea scilicet quod ego quantus sim cognoui. Nam re vera ego mensuratus sum. Ad hunc igitur modum scientiam mensurare dicimus, quia rerum præbet cognitionem, cum tamen a rebus mensuretur. (Protagoras vero mensuram omnium hominem esse dixit. perinde atque si scientem & sentientem dixisset esse mensuram, & hoc propterea, quod alter sensum, alter scientiam habet. quæ quidem subiectorum mensuras esse dicemus.) Ita cum hominem mensuram esse dicit, scientiam intelligit & sensum, in quo cum aliquid egregie ac sapienter dicere videatur, nihil tamen dicit tanta laude dignum. quid enim oportuit hominem mensuram esse dicere, & non potius scientiam, atque sensum?

Mensura
omnium,
vnum.

Scientia &
sensus me-
surantur po-
tius a reb-
us quam ip-
sas me-
surent.

Homo, me-
sura.

Esse igitur vnius, maxime esse per id nomen quod segregant, mensuram quandam & propriissimam quantitatis, deinde etiam qualitatis, dilucidum iam ex hisce quæ diximus, fuit. Erit autem tale aliud si quantitate, aliud si qualitate diuisibile sit. Quapropter vnum ipsum indiuisibile est, aut simpliciter, aut ut rationem vnius subit. In substantia autem utro modo sese habet atque natura, quærendum esse videtur, ut in dubitationibus olim transegimus, quidnam est ipsum vnum, & quomodo de ipso accipere oportet, vtrum sit substantia, perinde atque Pythagorici prius dixerunt, & posterius Plato, an natura potius ipsi quædam subiiciatur. Et quomodo notius oporteat dici, an ut ii dixerunt qui versabantur circa naturam. Illorum enim quidam concordiam ipsum vnum, quidam aerem, quidam infinitum ipsum esse dicebant. Quod si nihil vniuersalium substantia esse potest, ut in sermonibus de substantia, & de eo quod est, iam diximus, neque id ipsum substantia ut vnum quid præter ipsa multa esse potest (est enim commune) sed ut prædicatum duntaxat: patet neque ipsum vnum tale esse posse. Id enim quod est, ipsumque vnum maxime de omnibus vniuersaliter prædicantur. Qua-

re neque genera ipsa naturæ quædam & substantiæ separabiles sunt a cæteris, neque ipsum vnum ob easdem causas genus esse potest, ob quas neq; id quod est, neque ipsa substantia esse potest.

Esse igitur vnus maxime esse per id nomen quod determinant mensuram quandam & propriis-
 6
 simam quantitatis certum est.) Cum vnum docuisset pro mēsurā a cunctis vsurpari, & id potissimū
 quod habetur in quanto, quod proxime ad vnus vocabulum accedere dixerat, rationē cōcludit, du-
 bium non esse dicens quin vnum maxime mensura sit, atq; id propriissime vnum, quod est in quan-
 to: quod quidem mensuram determinant, id est appellant: vel determinant dixit pro eo quod est, in-
 telligunt per nomen vnus: aut determinant, id est segregant a rebus mensuratis per nomen vnus.
 Nam cum mensurata vel a duobus nuncupantur, vt bicubitale, vel a tribus, vt tricubitale, vel a quo-
 piam alio numero, solum tamen quod mensurat, id est mensura ipsa ab vnitāte nominatur in om-
 nibus rebus mensuratis. Mensura vero alia erit si fuerit diuisibilis per quantum, vt linea pedalis. alia
 si per quale, vt album: etenim album per quale diuiditur. quia igitur mensura quodammodo diuidua
 est, quodammodo indiuidua, vnitas quidem prorsus ac simpliciter est indiuidua, cæteræ vero qua
 vnum, indiuiduæ sunt: qua magnitudines, diuiduæ. Ego enim qua vnus sum, indiuiduus sum. neque
 sum vnus & multi, quemadmodum homo vniuersale, vt in alios homines diuidi possim. qua vero
 sum quantum, omnino diuiduus sum. His igitur de vno disputatis, quærendum est ait, vtrum sic se
 habeat quemadmodum in dubitationibus diximus, cum vnū quid sit, & quænam de ipso opinio ha-
 benda esset differeremus: vtrum igitur substantia quædam sit, & in eo consistat, vt vnum sit, quem-
 admodum Pythagorici dicebāt, & post ipsos Plato, an vni natura quædam subiiciatur, & quomo-
 do notius dici oporteat: an vt Physici tradūt, quorum Empedocles vnū amicitiam esse dixit, Anaxi-
 mander aerem, quidam infinitum. itaq; horum quisq; naturam quandam vni subiiciebat. quibus po-
 sitis istorum doctrinam refellit, demonstrans non esse quidquam vnū ipsum per se, & cuius substā-
 tia in hoc consistat: atq; huiusmodi vtitur argumētatione. Vnum est vniuersale, nullum autem vni-
 uersale est substantia. vnum igitur non est substantia. At vnum esse vniuersale probat, quia de cūctis
 entibus prædicatur. quod vero vniuersalia nō sint substantiæ, in huius operis sexto libro demonstra-
 tum est, vbi agitur de definitione atq; substantiā. si ergo, vt eo loco demonstratur, nullum vniuersa-
 le est substantia, ne hoc quidē quod est vt vnum, ac præter multa existit, substantia fuerit. Nam quod
 est præter multa, & de pluribus dicitur, id cōmune est, nec aliqua natura, sed tantum prædicatio atq;
 nomen. si hæc ergo sic habent, haud dubie vnum non est substātia. Nam si vniuersalia non sunt sub-
 stantiæ, profecto ens & vnum tanto minus erunt substantiæ, quia cæteris vniuersaliora sunt, vt quæ
 de decem generibus generalissimis prædicentur. (Quare, inquit, neq; genera) Genera autē vocat vel
 decem generalissima, vel quodcunq; vniuersale. (Naturæ quædam & substantiæ separabiles sunt ab
 alijs) id est, a particularibus. Neq; ipsum vnum genus esse potest, & natura quædam separata ob eas
 causas, ob quas neque ens genus esse potest: vt intelligatur, ne substantiam quidem vniuersalem esse
 posse. causæ vero in sexto huius operis libro redditæ sunt.

Præterea rem in vniuersis similiter sese habere necesse est. id autē quod est, ipsumq;
 vnum paribus modis dicuntur. Quare cum in hisce quæ qualia sunt, sit quid ipsum vnū
 & quædam natura, & in iis etiam quæ sunt quanta, modo eodem, patet quærendum esse
 omnino quidnam sit ipsum vnum, quæadmodum & quid id quod est, quippe cum non
 sit satis naturam ipsius idipsum esse asserere. At vero est quidam ipsum vnum in colo-
 ribus color, vt albedo, si cæteri colores ex hac atq; nigredine fieri vidētur. Nigredo ve-
 ro priuatio est albedinis, quemadmodum & luminis tenebræ. sunt enim hæc priuatio lu-
 minis. Quare si ea quæ sunt, essent colores, ea profecto quæ sunt, numerus quidā essent.
 At quorumnam numerus? Nempe colorum, vt luce clarius extat, & ipsum vnum esset
 quid vnum, velut albedo. Pari modo si ea quæ sunt, cantus essent, numerus essent profe-
 cto, sensibilibus tamen primorum sonorum. Sed non numerus ipsorum esset substātia.
 Vnumq; ipsum aliquid esset substantia, cuius non ipsum vnū, sed primus sonus sensibi-
 lis esset. Similiter & si voces essent, numerus essent elementorū, & ipsum vnū elementū
 esset vocale. Si figuræ etiam rectis ex lineis constātes essent, figurarū numerus essent, &
 ipsum vnum triangulus esset. Eadem est & in cæteris generibus ratio. Quare si in affe-
 ctibus, si in qualitate, si in quantitate, si in motu numeri sunt, vt quippiam vnum, atq;
 numerus aliquorum est, & ipsum vnum quid vnum, sed non id est ipsius substātia, & in
 substātiis profecto rem ita sese habere necesse est. Res enim eodem modo sese habet in
 vniuersis. Patet igitur ipsum vnum in omni genere quandam esse naturam, & rei nul-
 lius prorsus idipsum esse naturam. Sed vt in coloribus vnum ipsum quære colorum

vnum oportet, sic & ipsum in substantia vnum substantiam vnā quærere oportet. Idem autem ipsum vnum, & id quod est quodāmodo significare patet, ex eo sane, quia sequitur paribus modis prædicamenta, & non est in vllō, neq; in substantia, neq; in qualitate, sed perinde sese habet, vt id quod est.

7 Præterea rem in vniuersis similiter sese habere necesse est. ens autem & vnum paribus modis dicuntur. Hæc quoque argumētatio pertinet ad confirmandum vnum non esse substantiam. quæ quidem huiusmodi est. si in nouem prædicamentis cæteris a substantia nihil potest esse vnum per se subsistens, sed vnicuique subiicitur vel album, vel strepitus, aut aliud quippiam, merito ne in substantia quidem aliquod vnum fuerit, cui non subiiciatur vel Socrates, vel Deus, vel quidquam aliud. necesse igitur est, vt in omnibus similiter sese res habeat. quid enim potest esse causæ, cur in qualibus & quantis, cæterisque natura quædam vni subiici dicatur, in substantia non item? sed ipsum vnum sit substantia, vnum autem & ens paribus modis dicantur, quoniam conuertuntur, vt in hoc opere demonstratum est. quod si in qualibus est vnum, ac præterea quædam natura, & perinde in quantis, quærendū est, quidnam sit ipsum vnum, quemadmodum & quid est ens. Neque enim satis est dicere naturam vnus esse vnum. quod autem in cæteris prædicamentis a substantia substantia quædam vni subiicitur, certum est. In coloribus enim aliquid est vnum, vt album. cæteri namque colores, vt fuscus & rubens, ex hoc & nigro conflantur. niger autem priuatio albi est, vt tenebræ luminis. tenebræ namque luminis sunt priuatio. Sed tum verba illa (cæteri colores ex hac atque nigredine fieri videtur) tum etiā hæc (Nigredo vero priuatio est albedinis, quemadmodum & luminis tenebræ) superuacanea sunt. Nam mea quidem sententia ab hac oratione & proposito sunt aliena. Ergo in coloribus, vt dictum est, est quiddam vnum, vt album. quare si omnia entia essent colores, & nihil aliud esset, entia ipsa essent aliquis numerus, id est, esset aliquis colorum numerus. ipse autē dixit (numerus quidam essent) deinde adiecit interrogans (At quorumnam numerus?) ad quod ipse respondet (Nempe colorum.) quasi dicat, non hoc ipsum esset numerus, sed numerus colorum. fore autem colorum numerum certum est. essent enim decem, vel mille, vel decem millia, aut alius cuius numerus. quare & vnum mensura huiusmodi numeri aliquid esset, vt album quod alba metiretur, aliquid esset numeri alborum. & quemadmodum vnitas ad numeros, sic vnum in albo sese haberet ad numerum qui haberetur in albis. Item si entia cantus essent, numerus quidam esset cantuum, & vnum esset diesis, quæ ipsos mensuraret, nec substantia esset numerus cantuum: cuius essentia in eo quod numerus esset consisteret, sed esset numerus cantuum. Item si omnia entia soni essent, numerus esset elementorum, quorum soni sunt, & vnum mensura elementorum esset elementum seu litera, vocalis scilicet vel consonans. Pari ratione si entia essent figuræ, numerus esset figurarum, & vnum triangulus. quod si cum habeantur numeri, & vnum in affectionibus, in quantis, in qualibus, ac in motu, in omnibus numerus est alicuius numerus, & vnum, alicuius vnū, neq; substantia ipsius vnus in hoc posita est, quod sit vnū, satis hinc intelligi potest, in substantijs sic sese rem habere necessario. Nam quæ in alijs, eadem est ratio in substantia. Cum igitur ad hunc modū inductione demonstrauerit vnum non substantiam esse, sed prædicationem, concludit dicens. patet igitur, inquit, ipsum vnum in omni genere quandam esse naturam, eiq; subiici aliquid, & hoc ipsum vnum esse, nullius esse naturam, id est ipsum vnū non esse aliquam naturam per se existentem: sed vt in coloribus cum vnum audimus, colorem vnum inquirimus, album exempli causa, vel nigrum, sic in substantia vnum, homo vnus, aut quidquid aliud inquiri debet. Sed quia supra vnū & ens pari modo dici tradiderat, idcirco ait, vnū idem esse atque ens. quod iterum ex eo colligi potest, quia pariter sequitur prædicamenta, & in nullo continetur. (Neq; inquit, est) neq; in substantia, neq; in quali quidquam est vnum, vt non sit ens, aut ens, quin sit vnū, sed similiter se habet: & quemadmodum ens in omnibus prædicamentis versatur, sic item vnum.

Vnū nō est
se substantiā

In coloribus vnū est
nempe albū.

Vnū, idem
est, atque
ens.

Et item ex eo, quia non insuper quidquam aliud prædicatur, cum dicitur homo ac vnus homo, sicuti neq; ipsum esse quid est præter substantiam, vel quale, vel quantum, neq; esse ipsum vnus est præter ipsum vnus cuiusque esse.

8 Et item ex eo, quia non insuper quidquam aliud prædicatur cum dicitur homo, quæ cum vnus homo. His verbis, vt mihi quidem videtur, obiectionem diluit, qua occurri potest rationi demonstrati vnum non esse ipsum per se, neq; substantiam quampiam. sic enim occurri posset. si vnum nō est natura quædam, sed nomen duntaxat, quomodo dicimus, animal vnum est: in qua oratione est prædicatur de animali, & insuper vnum. similiter dicimus, est homo vnus. in qua oratione vnus tertio loco efficitur prædicatum. Itaque vnum quod de animali vel homine prædicatur, aliud ab ipsis esse intelligitur, & natura atque substantia. Hæc igitur obiectionem soluit dicens. non si vnū de homine prædicatur, protinus verum est dictu interesse homo ne, an vnus homo dicatur, ac proinde vnum esse aliquid. Nam quemadmodum ipsum est, non est natura quædam per se, quæ tamen perinde de homine prædicatur, sic ne vnum quidem. quocirca homo idem est, atque vnus homo. & vnum esse idem & quamcunque rem esse, quia esse vnum idem est atque esse vnum equum.

Modis autem ipsum vnum ac multa pluribus opponuntur, quorum vno modo ipsum vnum multitudoq; opponuntur, vt indiuisibile, ac diuisibile. Quod est enim aut diuisum aut diuisibile, id multitudo dicitur quædam. Quod vero est indiuisibile, aut non diuisum, id dicitur vnum. Cum igitur oppositiones quatuor modis sumantur, & horum alterum vt priuatio dicatur, erunt hæc profecto contraria, & neq; vt cōtradictoria, neque vt relatiua. Dicitur autem ipsum vnum ac declaratur ex ipso suo contrario, ex diuisibili inquam indiuisibile, propterea quod multitudo magis sensibilis est, & diuisibile quàm indiuisibile ipsum. Quare multitudo prius est ob sensum ipso indiuisibili ratione. Est autem ipsius quidem vnus, vt & in diuisione contrariorum descripsimus, ipsum idem, & simile atq; æquale, multitudinis autē ipsum diuersum, & dissimile & inæquale.

Modis autem ipsum vnum ac multa pluribus opponuntur.) His quoq; vnum non esse substantia confirmatur. Nam substantiæ nihil opponitur. hoc igitur ostendit, simulq; cuncta vnus consequentia accidentiæ definit, quorum id primū est, quod ei multa pluribus modis opponuntur. quorum vno, inquit, vnum & multa opponuntur vt indiuiduum & diuiduum. vnum vt indiuiduum, multa vt diuiduum. quod enim diuisum est, aut cum non sit, esse tamen diuisum intelligitur, multitudo ac multa nuncupatur. Indiuiduum autem vt punctum aut vnitas, vel diuiduum non diuisum vt linea pedalis appellatur vnum. Cæterum quia oppositio est quadruplex, vnum & multa non vt relatiua, non vt habitus & priuatio, neq; vt affirmatio & negatio, sed vt contraria opponi intelliguntur. quod si verum est, vnum non potest esse substantia, cum substantiæ nihil sit contrarium. (Dicitur autem ipsum vnum atq; declaratur ex ipso suo contrario) id est ex diuisibili: idq; quoniam diuisibile & multitudo magis sentitur. ex eo enim quod diuidendo ad breuissimum peruenimus, quod secare non possumus, in vnus ac indiuidui cognitionem venimus. Itaq; multitudo ratione & cognitione a sensu profecta prior est quàm vnum, natura vero posterior. (Est autē, inquit, vnus, vt in diuisione contrariorum descripsimus) In libro enim de bonis, vt alio in loco testati sumus, diuisionem fecit, qua omnia contraria in multitudinem ac vnū redegit. est igitur vnus idem, simile, atq; æquale: multitudinis autem diuersum, dissimile, & inæquale.

Liber de
bonis.

Atqui cum multipliciter idem dicatur, vno quidem modo numero interdum dicimus ipsum, alio vero modo, si & ratione sit & numero vnum, veluti tu & forma & materia idem es quod tute ipse, & vnum. Præterea si ratio primæ substantiæ vna sit, veluti lineæ rectæ æquales sunt eadem, & æqualia item quadrata, & tamē sunt plura, verum æqualitas in ipsis est vnitas. Similia vero dicuntur, si non simpliciter quidem eadem sint, neq; substantia non differant subiecta, sint tamen eadem forma, vt quadratum maius simile est minori, & inæquales etiam lineæ. Hæc nanq; similes quidem sunt, eadem autem absolute non sunt. Quædam etiam si eandem habeant formam, in quibus intensio fit atq; remissio, & non magis neq; minus talia sint, similia sane dicuntur. Quædam insuper si affectus quidem sit idem vnusque specie, magis autem minusve talia sint, velut alba, similia dicuntur esse, propterea quod ipsorum forma est vna. Sunt & quæ similia dicuntur, si plura eadem habeant, quàm diuersa, aut simpliciter, aut ea quæ sunt in pròptu, vt stannū argento simile dicitur, aut ignis auro, qua ratione est flauus. Quare patet diuersum quoq; atq; dissimile pluribus dici modis.

Eadem.

Atqui cum multipliciter idem dicatur, vno quidem modo secundum numerum.) Cum, inquit, idem plurifariam dicatur, dubitari non debet, quin diuersum & dissimile pluribus modis dicatur. Cum igitur idem multis modis dicatur, (vno modo, inquit, dicitur secundū numerum, quod aliquādo dicimus ipsum.) dicimus enim nonnunquam musicum idem esse, quod album, propterea quod Socrates in quo sunt, idem & vnus est numero. (Alio vero modo si ratione sit & numero vnū.) Tu enim idem es & vnus tibi specie & numero. hoc enim significat cum ait (& materia.) Præterea eadem dicuntur, quorum ratio vna est substantiæ primæ, id est proximæ: vt lineæ rectæ pares eadem dicuntur propter paritatem. Similiter quadrata æqualia, & æqualium angulorum, eadem esse dicuntur. Nam licet plura sint, æqualitas tamen in ipsis est vnitas qua vniuntur & efficiuntur eadem. similia vero dicuntur, si sunt eadem, & non sunt. Maius enim quadratum idem est, quod minus, & non idem. qua enim ratio formaq; ipsorum non differt, sed est eadem, ipsa eadem sunt. qua vero hoc maius est, illud minus, non eadē, sed similia dicuntur. Similia igitur, inquit, dicuntur, si nō simpliciter eadem sunt, sed aliquo differunt. nec tamen substantia & specie discrepant, sed habent speciem eandē, dissident tamen quatenus composita sunt. Nam Socrates & Plato vt homines sunt, non discrepant: vt vero indiuidui, differunt. hoc enim significat cum ait. (Neq; substantia nō differant subiecta spe

cie eadem, vt de quadratis diximus. quin & lineæ rectæ impares similes esse dicuntur, quia simpliciter non sunt eadem, sed differunt imparitate, cum ratione atq; substantia non discrepēt. Sunt enim rectæ. Alia similia dicuntur, si speciem eandem habeant, nec magis sint, aut minus, in quibus magis & minus locum habeant: vt in albo magis minusq; versatur. album enim albo & magis & minus dicitur. Si ergo duo album habeant quod intendi potest atq; remitti, nec albedo vnus intensior sit aut remissior alterius albedine, ea similia sunt. Hęc igitur similia dicuntur, quoniam albedinum que in ipsis habentur, non est altera q̄ altera neq; intensior, neq; remissior, cum tamē esse possit. Alia similia dicuntur diuerso modo q̄ quæ statim explicata sunt, vt si duo alba sint, sed vnus albedo intensior sit alterius albedine, seu remissior, ea similia dicuntur, quoniam eandem speciem obtinent, cum ambo sint alba. hic enim est sensus illius dictionis (quædam insuper si affectus quidem sit, idem vnusquisq; specie, & cætera.) Alia, inquit, dicuntur similia (si plura eadem habeant quàm diuersa, aut simpliciter, aut ea quæ sunt in promptu) In promptu ea esse intelliguntur hoc in loco, quæ magis sub sensum cadunt, quod exemplis facile declarabitur. sit ergo a album graue & durū, b album graue & molle, c album & molle. nimirum b similius fuerit a q̄ ipsum c, quia c vnum habet, hoc est album cum a commune, b autem duo album & graue. b igitur simile a esse dicitur: quoniam plura eadem habet. stannum argento, quia quod est in promptu, id est album: quoniam album quod in ipsis habetur, magis sensu percipitur q̄ graue, vt aurum simile igni secundum flauum, seu fuluum. Cū ergo idem & simile plurifariam dicatur, diuersum quoq; & dissimile multis modis dici conuenit.

Similia.

Atque ipsum quidem aliud, & ipsum idem, opposito modo se habent. Quapropter omne quoduis aut aliud est, aut idem. Illud autem dicitur, si materies & ratio non sit vna. Quocirca tu es & propinquus, diuersum. Tertium vero, vt ea quæ in ipsis sunt mathematicis. Diuersum igitur aut idem propter hoc omne ad omne dicitur, quod vnum atque ens dicitur. Non enim ipsius eiusdem est contradictio. Quapropter non dicitur in hisce quæ nō sunt (ipsum verum nō idem dicitur) de iis autem dicitur vniuersis quæ sunt. Aut enim vnum est, aut non vnum aptum ens esse ac vnum. Diuersum igitur atque idem hoc opponuntur pacto.

11 Atq; ipsum quidem aliud, & ipsum idem, opposito modo sese habent.) Propositum est hoc in loco, aliud & diuersum quomodo ad idem se habeat, demonstrare, atq; aliud oppositum esse eidem, ac proinde de cunctis quæ sunt, quæq; non sunt, dici, & verum a falso discernere. sed hoc, verum in quâ discernere a falso, proprium eorum est, quæ per contradictionem opponuntur. at diuersum & idem non distinguunt in omnibus quæ sunt, quæq; nō sunt, verum a falso, sed in ijs duntaxat quæ sunt. quo fit, vt non opponantur contradictorie. Aliud igitur, inquit, atq; idem opponuntur. quamobrē omne ad omne relatum, vel est idem, vel aliud: quia omne vel ens vel non ens ad omne vel est idem, vel aliud: vt statim non ens, aliud est q̄ ens. Effatus autem aliud atq; idem opponi, antequam diuersum quomodo ad idem dicatur, exponat, de simili interea mentionem facit dicens, (illud autem dicitur, si materies & ratio non sit propria) quo in loco proprium dicit pro diuerso: vt si quis diceret triquetrum proprium esse a circulo, id est diuersum. est igitur sensus, si materia & ratio non sit propria, id est, nisi differens sit vel ratio, vel materia. Nam si ratio & materia eadem sunt, non dicuntur similia, sed eadem. statuæ nanq; æneæ non similes, sed eadem esse dicuntur, quia formam & materiam eandem habent. at si altera ænea sit, altera ex auro, quia materia discrepant, similes esse dicuntur. Rursus si ex ære constet tum tripos, tum lebes, similes dicuntur, quoniam discrepant forma, cum materia nō differant. Item simile dicitur quod propius accedit, vt color viridis similis esse dicitur puniceo, quia magis ad eum accedit quàm purpureus, & ductus rectus ductui similis est, vt in mathematicis. His de simili interiectis, de diuerso atq; eodem edisserit, dicens. (diuersum igitur aut idem omne ad omne dicitur, quæcunq; vnum & ens) id est, quæcunq; vnum & entia sunt, ea vel eadem dicuntur, vel diuersa. in non entibus autem non hæc dicuntur. cuius causam breuiter reddit dicens. (Nō enim ipsius eiusdem est contradictio.) id est, idem & diuersum non opponuntur contradictorie, vt ad non entia quoq; pertineant, non solum ad entia. non idem vero de entibus etiam dicitur, quamobrem idem & diuersum vnum esse solet, aut non vnum, quod tamen sit vnū & ens: & concludit dicens (diuersum igitur atq; idem hoc opponuntur pacto.) vt scilicet in solis entibus alterum vere dicatur, alterū secus.

Aliud & diuersum quomodo ad idem se habeant.

Simile.

Differentia vero & diuersitas aliud est. Diuersum enim, & id a quo est diuersum, non est necesse aliquo esse diuersum. Omne enim aut diuersum est, aut idem, quidquid sit ens. At id quod differt, ab aliquo sane differt: quare necesse est idem quid esse quo differunt. hoc autē idem genus est aut species. Omne enim quod differt, aut genere, aut specie differt: at genere quidem differunt ea, quorum materia non est communis, neq; mutua generatio, vt ea quorum est alia prædicamenti figura. Specie autem ea, quorum genus est idem. Genus vero dicitur, quo ea ambo quæ differunt, idem per substantiam esse

dicuntur. Quare contraria sunt differentia, & contrarietas est differentia quædam.

Differētia
& diuersitas
differūt

Differentia vero & diuersitas aliud est. Differentiam a diuersitate discernit, aliud differentiam esse tradēs, aliud diuersitatem. Nam diuersitas, inquit, non est necesse aliquam inter se communionem habeant. substantia enim cum quantitate, a qua diuersa est, nihil habet cōmune. Attamen quidquid est ens, diuersum est, aut idem. (at id quod differt ab aliquo, aliquo sane differt) sensus, ut mihi quidē videtur, huiusmodi est. quod autem differt ab aliquo, aliquam cum eo societatem habet. Equus enim ab homine differt, hoc tamen habet commune, quod uterq; est animal. Itaq; necesse est, ut sit aliquid idem quo participant quæ differentia sunt. hoc autem, quo scilicet differentia participant, aut genus est, aut species. Nam Socrates & Plato, qui differunt inter se, speciem & genus habent commune, equus vero & homo genus tantum. At ipse genere ea differre ait, quorum materia non est cōmunis, argumento, quod alterum non efficitur alterum. Neq; enim substantia efficitur quantum, neq; cōtra quantum substantia: quemadmodum aer aqua efficitur, & hæc aer. (specie autem ea quorum genus est idem.) Sed genus, inquit, est id in quo ambo differentia secundum substantiam sunt idem. Nam homo & equus secundum animalis substantiam idem sunt. Quo fit, ut contraria differentia sint, propterea quod substantiam subiectam communem habent, ut homo & equus commune habent animal, deinde substantiam.

Hoc autem bene a nobis esse suppositū, ex inductione patere potest. Omnia enim differentia & eadem non solum diuersa esse videntur, sed quædam genere sunt diuersa, quædam sunt in eadem prædicamenti serie collocata. Quare eodem in genere sunt, & genere eadem sunt. Definitum est autem alio in loco quæ genere eadem sunt, aut diuersa. Quoniam autem fit ut ea quæ differunt, magis minusve differant, est & quædam sane maxima differentia, atq; hanc contrarietatem dico. Esse autem hanc maximam differētiā, ex inductione patere potest. Etenim ea quidem quæ genere differunt, mutuam ad se viam non habent, sed plurimum distant, & inter sese comparabilia non sunt. At generationes eorum quæ specie differunt, ex contrariis sunt porro ut ex extremis. Extremorum vero distantiam maximam esse constat. quare patet & contrariorum maximā esse. Atqui id quod est maximum in vnoquoq; genere, est perfectum. Maximum enim id est, cuius non est excessus: & perfectum id, cuius sumi quicquam extra non potest. Perfecta nanq; differentia finem habet, perinde atq; cætera propterea perfecta dicuntur, quod finem habent: nihil autem est extra finem. Est enim ipse finis extremum in omnibus, atq; continet. Idcirco nihil est extra finem, neq; vllius indiget ipsum perfectū. Contrarietatem igitur differētiā esse perfectam, ex hisce patet. Cum autem pluribus contraria modis dicantur, sic & perfectum comitabitur, ut ipsius contrarietatis ratio competit. Quæ cum ita sint, patet vni plura contraria esse non posse. Neque enim extremo quidquam magis extremum esse potest, neq; vnus interualli plura sunt duobus extrema. Omninoq; si contrarietatis quidem est differētia, differentia vero duorum est differentia, perfecta quoq; differentia duorum erit profecto.

Differētiā
quædam
magis differūt
quædam
minus.

Hoc autem bene a nobis esse suppositum, ex inductione patere potest. Quod recte, inquit, posuerimus differentia esse, quæ aliquo participant, ex singulis intelligi potest. omnia enim differētia non solum sunt diuersa, sed etiam eadem: ut equus & homo. quare differentia sunt diuersa, non contra diuersa differentia. Materia enim nō proxima, sed remota & informis, quæ est in Socrate, & quæ est in Platone, diuersæ sunt, differentes non item. quo enim differre possunt, quæ forma omnino vacant? (Sed quædam genere sunt diuersa) id est, diuersa genere, diuersa sunt. (Quædam sunt in eadem prædicamenti serie collocata) id est, similia in eadē catena consistunt. (quare in eodem genere sunt, & genere eadem) qualia vero sint quæ genere dicuntur eadem, in libro quarto fuit explicatum. Sed cū differētiā, quædam magis differant, quædam minus: ut purpureus color magis differt a rubro, a viridi minus, (est quædam sane maxima differentia.) hæc maxima differentia est contrarietas: ut inter album & nigrum. quo fit, ut quantum substantiæ contrarium sit, cum inter se plurimum differant. quæ quidem contraria sunt, non q; alterum in alterum transeat, aut altero intercipiatur alterum, sed eo tantum quod maximo interuallo absint inter se. Sed cum se dixisset maximam differentiam contrarietatem appellare, id verum esse inductione patere ait. (Etenim ea quæ genere differunt) genus autem, ut puto, materiam vocat: eritq; sensus, quæ genere differunt, id est, quæ non habent eandem materiam, ut substantia & quantitas (mutuam ad se viam non habent) id est, alterum ex altero non generatur. (sed plurimum distant, & inter sese comparabilia non sunt) id est, nihil habet commune. comparabilia enim sunt, ut in libris de generatione traditur, quæ cōmune quidpiā habent.) At gene

rationes eorum quæ specie differunt, ex contrarijs sunt porro vt extremis) ex fusco enim gignitur album, at fuscum & album non est extrema & maxime distans contrarietas, sed album & nigrum. tamen album ex fusco tanquam ex extremo efficitur. Itaq; eorum quæ proprie extrema sunt, maximum est interuallum. quod si contraria sunt extrema, extremorum autem est maximum interuallum, contrariorum igitur interuallum maximum est, vt recte contrarietas maxima differentia esse dicatur. Cum igitur ad hunc modum contrarietatem maximam differentiam esse docuisset, maximam quoq; differentiam perfectam esse demonstrat. Itaq; cum sit contrarietas maxima differentia, hæc autem perfecta habeatur, fit vt contrarietas perfecta sit. quod si verum est, profecto vnum vni contrarium fuerit, cum haud dubie profecto vnum perfectum opponatur. Itaq; maximam differentiam perfectam esse demonstrat. Nam id, inquit, quod est maximum in vnoquoq; genere & subiecto, perfectum est. Nam maximum id esse dicimus, cuius non est excessus: vt mundus maximus dicitur, quoniam a quo excedatur nihil est. Perfectum quoq; vocamus, extra quod nihil licet accipere. Item perfecta differentia finem habet, extra finem autem nihil licet sumere, cum in omni re finis extremum sit, & id complectatur, cuius est finis. itaq; extra nil licet accipere, ipsumq; perfectum nullius indigere. Quare si cetera idcirco perfecta dicuntur, quia finem habent, maxima vero differentia finem habet, fit vt ipsa quoq; perfecta sit. (cum autem pluribus contraria modis dicantur) contraria enim, vt dictum est, ea dicuntur, quæ sunt in eodem genere, & quæ sunt in eodem subiecto, & quæ sub eadem facultatem cadunt, & cætera, quæ in libro quarto commemorantur, vbi de contrarijs disputauit. (cum ergo pluribus modis dicantur, sic & perfectum comitabitur, vt ipsius contrarietatis ratio eis competit.) Si enim ratio contrarietatis ei competit, propterea quod sunt in eadem facultate, perfectio quoq; ad hunc modum eis conueniet: hoc est, contrarijs quæ in eodem genere sunt, perfectio ad eum modum conueniet. Est autem perfecta contrarietas eorum quæ sunt in eodem genere, extra quam nihil accipi potest. Item ijs quæ sub eadem potentiam cadunt, perfectio sic quoq; tribuetur. Est enim perfecta contrarietas subditorum vni potentiam, extra quam nihil sumere licet. Rursus eorum quæ diuersis generibus subiacent, contrarietas perfecta est, extra quam nihil licet accipere. cui par ratio in cæteris reperitur. (Quæ cum ita sint, patet vni plura contraria esse non posse.) Nam cum sit contrarietas differentia maxima, & extra quam nihil accipi potest, haud dubie vni vnum contrarium est. Neq; enim extremo ac ultimo quidquam est vltius. contraria vero extrema sunt. itaq; extrema plusquam duo esse nequeunt. Ad hæc, contrarietas omnis est vnum interuallum. omnis autem vnius interualli duo sunt extrema. omnis igitur contrarietatis extrema duo sunt (omninoq; si contrarietas est differentia, differentia vero duorum est, perfecta quoq;) id est, perfecta differentia duorum erit.

At vero cæteras etiam contrariorum definitiones veras esse necesse est. Etenim perfecta differentia plurimum differt. Extra enim ea quæ genere differunt, non fit vt quicquam sumatur, neq; extra ea quæ specie differunt. Demonstratum est enim differentiam ad ea quæ sunt extra genus, non esse. horum autem hæc maxima est, vt patuit. Et ea quæ plurimum eodem in genere differunt, contraria sunt. perfecta enim horum differentia maxima est. & ea rursus quæ in eodem susceptiuo plurimum differunt, contraria sunt. est enim eadem contrariorum materies. & ea insuper quæ sub eadem potentia plurimum differunt. scientia enim vna circa vnum genus versatur: in quibus differentia perfecta maxima est. Atqui prima contrarietas habitus est & priuatio, non tamen omnis priuatio, multipliciter enim priuatio dicitur, sed ea quæ est perfecta. Cætera vero contraria per hæc ipsa dicuntur, partim propterea quod habent, partim ex eo quia faciunt, aut sunt effectiua, partim quia sunt acceptiones aut abiectioes horum, aut aliorum contrariorum.

14 At vero cæteras etiam contrariorum definitiones veras esse necesse est. Quod nos supra diximus, ipse hoc in loco tradit, hoc est definitiones contrariorum quæ in eodem genere sunt, veras fore in ijs quæ cadunt sub eadem facultatem, & in cæteris. nam differentia quoq; perfecta horum plurimum distat. Ergo quemadmodum perfecta differentia eorum quæ sub eadem cadunt potentiam, est ea extra quam nihil accipi potest, ita in cæteris etiam. Illud autem (demonstratum est enim differentiam ad ea quæ sunt extra genus, non esse) solutionem esse reor obiectionis, qua occurri poterat vni vni opponi asseueranti. dicat enim aliquis, si propterea vnum vni contrarium est, quod quæ plurimum inter se distant, duo sunt, cum nigrum plurimum distat ab albo, linea etiã multo magis, quid enim lineæ cum albo comune? duo igitur erunt quæ plurimum distat ab albo, nigrum & linea. quod si verum est, duo erunt vni contraria. Ad hanc igitur obiectionem soluendam pertinere puto id quod ait, demonstratum esse ad extrema generis non esse differentiam, id est, quæ diuersis generibus subiiciuntur, nec alterum alteri subest, ea opponi non oportere, sed quæ subiacent eidem. Cæterum quomodo ipse dixit substantiam & quantum plurimum inter se distare, cum diuersa genera sint: an generalissima, vt diximus, inter se opponuntur, eis subiecta non item? Neq; enim animal opponitur albo, aut album lineæ. dictum est enim, cum externis, & quæ alijs generibus subiecta sunt, non

Maximū
quid vocat
Mūd⁹ ma
ximus est.
Differentia
perfecta fi
nē habet.

Vnum vni
contrariū.

esse differentiam, hoc est contrarietate. (horum autem hæc maxima) id est, eorum quæ generi eidem subiiciuntur, hæc contrarietas maxima est differentia. & contraria sunt, quæ in eodem genere maxime differunt, quoniam horum differentia maxima est & perfecta. Pari ratione quæ in eodem subiecto plurimum differunt, contraria sunt. Materia enim & subiectum contrariorum idem est. Item quæ subiecta eidem facultati plurimum differunt, ut morbus & valetudo, quæ medicinæ subiiciuntur, ac plurimum differunt inter se. Medicina enim in vno genere, hoc est in corporibus versatur, in quibus habentur contraria recta & aduersa valetudo. Itaque eadem est contrariorum facultas. Prima vero contrarietas habitus est & priuatio, non omnis. nam fuscum est albi priuatio. inter hæc tamen non est prima contrarietas, sed ea quæ perfecta, ea prima est (cætera vero contraria per hæc dicuntur.) Nam corpus album corpori nigro contraria esse dicitur propter album & nigrum, & conualescentia quæ valetudinis est receptio, contraria ægrotationi, quæ est abiectio valetudinis, & receptio morbi, simili cæterorum ratione.

Si igitur oppositiones sunt, contradictio, priuatio, contrarietas, & relatio, atque harum prima est contradictio, & contradictionis nullum est medium, fit autem ut inter contraria sit aliquod medium, patet contradictionem idem atque contrarietatem non esse. priuatio vero quædam est contradictio. aut enim id quod omnino habere nequit, aut id quod non habet, aptum est tamen habere, priuatum est, aut omnino, aut ex parte aliqua definitum. iam enim multis hoc dicimus modis, ut in aliis locis distinximus. Quare priuatio quædam est contradictio, aut impotentia definita, aut comprehensa cum susceptiuo. Quocirca contradictionis quidem medium non est, priuationis autem alicuius est. Omne enim æquale est, aut non æquale. At non omne æquale est, aut inæquale, nisi in eo duntaxat quod est susceptiuum æqualitatis.

Priuatio & contrarietas ad contradictionem referuntur.

Si igitur oppositiones sunt contradictio, priuatio, contrarietas. Propositum est hoc in loco docere re priuationem & contrarietatem ad contradictionem referri, & easdem quodammodo contradictiones esse, ut ipse dicit. quod si verum est, contradictio nimirum quæ priuatio & contrarietas magis est oppositio. quod cum ita sit, ego non video cur quidam sic præcipiant, cum ipsi placeat contrarietatem magis opponi quam contradictionem, tamen gratia exercendi auditores dixisse in quinta particula libri de enunciatione contradictionem magis opponi, quam contraria. Demonstrat igitur, ut dictum est, priuationem & contraria sub contradictionem cadere. Prius tamen contraria non perinde opponi docet, ac contradictoria, id est atque affirmationem & negationem. quod ad hunc modum arguit in secunda figura: contradictionis nullum est medium, contrariorum autem medium habetur. contraria igitur non opponuntur, ut quæ contradictorie pugnant. si ergo, inquit, oppositiones sunt contradictio, priuatio, contrarietas, relatioque, & contradictio prior est quam tres cæteræ, nec contradictionis aliquod est medium, in quibusdam autem contrariis medium esse potest, satis patet non esse idem contradictionem & contraria. (Priuatio vero, inquit, quædam est contradictio) quo posito, antequam planum faciat quomodo priuatio est contradictio, priuationem ipsam partitur, dicens (Aut enim quod omnino habere nequit, aut id quod non habet, aptum est tamen habere, priuatum est: aut omnino, aut ex parte aliqua definitum.) ut lapis visum habeat, fieri omnino non potest, & tamen visu priuatus esse dicitur. infans etiam in bimatu, quia quantumvis dentes non habeat, habere tamen est aptus, dentibus priuatus esse dicitur. Nam quod ait (aut omnino, aut ex parte aliqua definitum) repetitio quædam est. illud enim (aut omnino) æquipollet huic, quod omnino non habet, aut aptum est habere, dicitur tamen priuatum esse. Illud vero (aut ex parte aliqua) additum est, quoniam ut dixit in quarto huius operis libro, ineptos pedes habere, est pedibus esse priuatum. & nucleis priuatum esse, breuissimos habere nucleos. Priuari autem multis modis dici admonet nos traditum esse in libro quarto operis huius, dicens (hoc enim multis modis dicitur, ut in alijs locis distinximus.) Si ergo priuatio quæ impossibile habere dicit, significat quod fieri non potest, quod autem fieri non potest, negatio est eius quod fieri potest, quemadmodum non habere priuatio est habendi, merito priuatio dicitur esse contradictio (aut impotentia definita, aut comprehensa cum susceptiuo.) Si enim cæcitatem ipsam discretam dixeris, impotentiam quandam significaueris, siue ipsam solam priuationem. si autem cæcum, cæcitatem cum subiecto suo. Cæcus enim est ipsa priuatio cum subiecto: quæ admodum cum albedinem dicit, albedinis formam significas, ipsamque albedinis naturam. cum vero album, corpus dealbatum. Cæterum quonam modo priuationis medium aliquod habetur? Nam cum neque æquale, neque inæquale dico, medium aliquid esse significo: cum contradictionis nullum esse medium demonstratum sit, ubi docuit contradictionem veram esse non posse. An quia contradictio nihil determinat? Nam cum æquale est, æquale non est dicimus, negatio destruit tantum æquale, non etiam aliquid ponit. priuatio vero, ut inæquale, non solum æquale demolitur, sed etiam ponit quandam contrarietatem. Porro inter contraria ut aliquid intercedat nihil prohibet, tametsi non est necesse. ob hoc igitur contradictio medium non admittit. Et quod verius est, quoniam contradictio in cunctis entibus & non entibus verum dirimit a falso, quoniam ut dictum est, negatio solum negat,

quod affirmatione significatur. priuatio autem simul falsa reperitur in ceteris a quantitate prædicamentis. vt enim affirmatio quæ ait, anima est æqualis, vel album est æquale, falsa est, sic priuatio quæ dicit, anima est inæqualis, vel album est inæquale. quia igitur ambæ sunt falsæ, idcirco medium quoddam admittunt, illud scilicet, anima neq; est æqualis, neq; inæqualis. quæ ratio in cunctis simul falsis reperitur. In contradictione vero minime. affirmationi namq; falsæ, anima est æqualis dicenti, negatio opposita quæ ait, anima non est æqualis, vera est, propterea quod intercipit tatum, vt dictum est, æquale: nec aliud quidquam ponit. ob hanc igitur causam contradictionis medium nõ habetur, priuationis habetur: cuius causam breuiter attigit dicens (omne enim æquale est, aut non æquale: at non omne æquale est, aut inæquale) quasi dicat: contradictio quæ ait, omnis res est æqualis, vel non est æqualis, in cunctis verum a falso seiungit. priuatio autem, vt diximus in exemplo de anima, falsa cum falso habitu reperitur. quo fit, vt hic medio locus relinquatur. At nõ in rebus omnibus priuatio cum habitu, aut hic cum priuatione falsus est. Nam in excipiente ac subiecto suo verum a falso discernunt: quoniam in quanto si habitus est falsus, priuatio vera est, quia omne quantum aut est æquale, aut inæquale.

Contradictionis medium nõ habetur, priuationis habetur.

Quod si generationes ex contrariis in materia fiunt, e forma autem fiunt, formæq; habitu, aut ex aliqua formæ priuatione, patet omnem quidem contrarietatem priuationem quandam esse: priuationem autem non omnem fortasse contrarietatem esse. Et causa est in promptu. fit enim, vt id quod caret, multipliciter sit priuatum. Ea namq; contraria sunt, e quibus extremis mutationes fieri solent. Patet etiam per inductionem. Omnis enim contrarietas alterius contrariorum priuationem habet, sed non omnia similiter carent. Inæqualitas enim æqualitatis, dissimilitudo similitudinis, vitiũ virtutis priuatio est, vt patet. Differt autem, vt diximus. Aliud enim priuatum dicitur, si solum careat. Aliud si quando aptum est habere, non habeat, vt in ætate aliqua, aut in aliquo, aut præcipuo, aut omnino. Quocirca quorundam est medium, & neq; bonus homo est, neq; malus. Quorundam non est, sed sit aut par aut impar necesse est. Præterea sunt quæ definitum subiectum habent, sunt quæ non habent. Quare per priuationem semper contrariorum alterum dici patet. Sat autem est & si ipsa prima generaq; contrariorum ita dicantur, vnum inquam ipsum, & multa. Ad hæc enim cætera reducuntur.

16 Quod si generationes ex cõtrarijs in materia fiunt.) Ostenso priuationem quandã contradiccionem esse, idem de contrarietate quoq; docet, dum contrarietates priuationes esse demonstrat. si enim contrarietates priuationes sunt, priuationes autem contradicciones quædam, contrarietates igitur cõtradicciones sunt. quod hypothetice ad hunc modum demonstrat. Si generationes sunt contrariorũ, generantur autem contraria per materiam ipsis subiectam, si ergo generationes in materia subiecta sunt ex contrarijs, omnis autem generatio (vel ex forma est, formæq; habitu) in eundem autem intellectum hæc duo verba dixit, (aut ex aliqua formæ priuatione) perspicuum est contrarietatem esse priuationem. Si enim musicus efficitur ex immusico, quod est priuatio, omnis autem generatio sic ex contrario, musicum profecto & immusicum contrarietas est, & priuatio. quæ ratio in cæteris omnibus reperitur. Porro generationem omnem vel ex forma & habitu, vel ex priuatione fieri, licet demonstratum sit in libro de generatione, tamen hic quoq; repetendum est. Nam cum ex musico aut albo sit immusicum, aut nigrum, ex forma & habitu efficitur generatio. Vt enim in libro quem modo citauimus, docetur, formarum præstantiores habitus sunt & magis formæ, deteriores vero priuationes. Cum igitur ex immusico aut nigro musicum efficitur aut album, ea generatio ex priuatione fit, quod si nigrum & album contraria sunt, & nigrum est albi priuatio, & immusicum musici, dubitari non debet quin omnis contrarietas priuatio sit & habitus. At non omnis priuatio contrarietas est, quoniam priuatio multifariam dicitur. Nam fuscum priuatio albi esse dicitur, at non proprie contrarium eius est: cum sint contraria ea, ex quibus extremis vicissim generatio fit, vt album, & nigrum: vel quæadmodum paulo ante dicebamus, contraria sunt, quorum interuallum maximum est. albi autem & fusci interuallum non est maximum. non igitur omnis priuatio est contrarietas. At omnem contrarietatem esse priuationem, inductione palam esse ait. omnis enim contrarietas priuationem habet. Nam frigiditas caloris habet priuationem, albedinis nigredo, inæqualitas æqualitatis, dissimilitudo similitudinis, vitiũ deniq; virtutis. Ex hoc autem priuationem non aliud esse colligimus, quã alterum contrariorum, hoc est vnam partem contrarietatis. Nigrum enim pars vna contrarietatis est. Nam tota contrarietas est duo album & nigrum. nigrum igitur alterum est contrariorum. omnis ergo contrarietas priuationem habet, & priuatio est contrariorum alterum. Sed non omnia similiter priuata dicuntur, sed differunt quemadmodum exposuimus. Dicitur enim aliquod priuatum dici, si solum careat. Nam & lapis visum priuatus esse dicitur, non quemadmodum ea quæ visum habere apta sunt, sed quia duntaxat visum non habet: aliud, si quando aptum est habere, non habeat: vel si non habeat in ea parte, qua est aptum habere: vt visum in oculo. (aut præcipuo) Nam qui dextra ma-

Cõtrarietates, priuationes esse.

Priuatio multifariam dicitur.

Inter bonū
& malū ali
quid inter
cedit.

nu caret, is manibus priuatus esse dicitur: quia potiore parte priuatus est. Dextra enim quæ leua potior habetur. Omnino autem manibus dicitur esse priuatus, qui vtraque caret. Quāobrem quorum contrariorum subiectum est definitū, vt paris & imparis numerus, horum nullum medium habetur: quorum minus, ijs aliquid intercedit, vt bono & malo. horum enim subiectum non est determinatum: vt quæ in omnibus prædicamentis habeantur. Sunt igitur quædam, quæ neque bona, neque mala sint. cui similis est in cæteris ratio. Inductione igitur palam fit, semper contrariorum alterum secundum priuationem dici, omnemque contrarietatem esse priuationem. sic ergo est argumentandum, contraria sunt priuationes, omnes priuationes sunt contradictiones, contraria igitur perinde atque priuationes sub contradictionem cadunt. Illud vero (sat autem est & si prima ipsa generaque contrariorum ita dicantur, vnum inquam ipsum, & multa) huiusmodi est, omnia contraria in vnum & multa referuntur. & vt sæpe diximus, partitionem fecit, quæ omnia contraria in vnum & plura rediguntur, vnum autem & plura contradictio quædam sunt, vt demonstrabitur. omnia igitur contraria ad contradictionem rediguntur.

Cum autem vnum vni contrarium sit, dubitauerit quispiam, quonam modo opponuntur vnum & multa, & æquale aduersatur magno ac paruo. Ipsum enim vtrum dicere semper in oppositione solemus, veluti vtrum sit album, an nigrum, & vtrum album sit, an non album. Vtrum autem homo sit, an album, non dicimus, nisi ex suppositione quærentes, ceu vter accessit, Cleon ne, an Callias? Sed non necesse est vlllo in genere hoc pacto interrogare, sed & hoc illinc est profectum. Sola enim opposita nequeunt simul esse. Quo & hic vtitur, cum interrogat, vter accessit. Nam si simul accedere possent, ridicula talis esset interrogatio. quod si & hoc pacto fieri potest, in oppositionem similiter cadit, in vnum inquam & multa, veluti vtrum vterque venerit, an alter. Si igitur quæstio per vtrum in ipsis sit semper oppositis, dicitur autem vtrum maius an minus sit quippiam, an æquale, quænam sit ad hæc oppositio ipsius æqualis. Neque enim alteri solum est contrarium. cur enim maiori potius quam minori? neque vtrisque. præterea ipsum æquale contrarium est inæquale, quare pluribus erit quam vni contrarium. Quod si inæquale idem significat simul quod illa ambo, oppositum quidem erit vtrisque. Et ipsa dubitatio opitulatur hisce qui ipsum inæquale dualitatem inquirunt esse: fit attamen, vt duobus sit contrarium vnum: quod quidem est impossibile. Præterea æquale quidem inter magnum & paruum medium esse videtur, contrarietas autem media esse neque videtur, neque potest, vt ex definitione ipsius patet. Non enim erit perfecta, si alicuius media sit, quin potius ipsa medium quippiam semper habet.

Vtrum, in
oppositis
dicitur.

Cum autem vnum vni contrarium sit, dubitauerit quispiam quonam modo opponuntur vnum & multa. Inquirunt vnum & multa quomodo opponantur, num vt contraria, an vt priuatio & habitus, an vt relatiua, an vt affirmatio & negatio. Similiter æquale quo ex his modo magno paruoque opponitur: docetque vnum & multa contraria esse, dicens, Ipsum enim vtrum dicere semper in oppositione solemus. vtrum autem dicitur in vno & multis, vnum profecto & multa contraria sunt. Quin etiam vtrum in oppositis dici certum est. dicimus enim, vtrum est album, an nigrum? & vtrum est album, an non album? vtrum vero quidquam homo sit, an album, non dicimus: quoniam album & homo non opponuntur, nisi ex positione: vt si quis ponat omnium rerum nihil aliud esse, quam hominem solum & album. tunc enim res proposita vtrum homo an album esset, dicere possemus. Item si ponamus hodie necessario fore aut venturum esse in hanc domum Cleonem vel Calliam, nec alium præterea per positionem, dicamus, vtrum Cleon est qui venit, an Callias? at si alij nonnulli venturi essent, non ita interrogaremus, cum fieri posset vt neuter esset qui venisset, sed Socrates exempli gratia. (Sed non necesse est) In nullo genere & subiecto interrogari potest vtrum, nisi ex positione: in oppositis autem ex necessitate. quin & illud quod ex positione dicitur, ex proprie oppositis emanauit. Quia enim opposita simul esse non possunt, & in hoc exemplo ponitur non simul ipsos venisse, idcirco quæritur vter venerit. Nam si posset vterque venisse, ridicule vter venisset interrogaretur. quod si cum ambo venisse possint, quispiam interroget an venerit, protinus in vnum & plura incidit, hoc est in contradictionem: vt, ambo ne venerint, an alter tantum. & sic rursus vtrum in contradictione dicitur. si ergo interrogatio vtrum, in oppositis, vt dictum est, versatur, cum maius ne, an æquale, an minus sit interrogemus, quæri potest quænam oppositio sit inter æquale & maius atque minus. Neque enim æquale vni tantum, id est maiori solum, vel minori opponitur. nam cur alteri magis quam alteri opponatur? At si æquali tum maius tum minus opponatur, duo erunt vni opposita, cum tamen vni vnum opponi supra demonstratum sit. Præterea inæquale contrarium est æquale. inæquale autem maius & minus significat: vt si æquale contrarium sit inæquale, sic rursus fiat, vt duo sint vni contraria. Item si inæquale vtrunque significat, id est maius & minus, alienum fuerit dicere, sumendum esse vt vnum

nomen, & opponendum æquali, ut sic vnum æquale vni inæquali opponi dicatur. Nam licet hoc ijs opitulari possit, qui sub dualitate inæquale redigunt, quod merito faciunt, cum inæquale duo significet, tamē qui quoniā inæquale nomen vnum est, & oppositū æquali, idcirco ut vnum vni opponi ait, huic nō erit iuuamento. Neq; enim nomina sunt quæ opponuntur, sed res quæ nominibus significatur. Ita licet inæquale nomē vnū sit, tamē quia duo significat, si quis id opponat æquali, duo is vni opposuerit, & sic erunt vni duo cōtraria, quod fieri nō potest. Ad hæc, æquale mediū est inter magnū & parū, cōtrarietas autē non est mediū. æquale igitur nō est ipsis cōtrariū. Iam cum cōtrarietas maximū & perfectum interuallū esse dicitur, ipsa nullius medium esse potest. Nā si medium cuiuspiā esset, utiq; non esset perfecta, quin potius ipsa sui medium aliquod habet, ut fuscum mediū est albedinis & nigredinis. Demonstratum igitur est, æquale maiori & minori non opponi ut cōtrarijs. Tunc enim fieret, ut vni duo essent contraria. & cætera, ut dictum est.

Res oppos
nuntur, non
nomina.

Restat igitur, ut ipsa aut ut negatio, aut ut priuatio opponatur. Atq; ut æquale alteri solū opponat, fieri nequit. Cur enim potius magno q̄ paruo, aut paruo q̄ magno? Vtrūq; ergo negatio est priuatiua. Quapropter & ad vtrūq; dicitur vtrū, ad alterū vero nō dicitur, velut vtrū sit æquale, an maius: aut vtrū sit æquale an min⁹, sed semper respectu triū istorū dicitur vtrū. Nō autē necessario priuatio est. Nō est. n. omne id æquale, quod neq; maius est, neq; minus, sed id eorū dūtaxat, in quibus illa inesse sunt apta. Est igit id æquale, quod neq; magnū est, neq; parū, aptū autē magnū vel parū esse. Atq; vtrūq; ut priuatiua negatio aduersat. Quapropter & inter illa mediū occupat locū. Id etiā qđ neq; bonū est neq; malū, ambob⁹ his aduersat, sed nomine caret. Pluribus. n. vtrūq; dicitur modis, & susceptiū nō vnū est, sed magis id nomē habet, qđ neq; albū est, neq; nigrū, attamē neq; hoc dicit vnū. Verū ipsi colores sunt quodāmodo definiti, in quib⁹ hæc negatio dicitur priuatiue. Nā aut fuscū, aut ceruleū, aut aliqd aliud tale illud esse necesse est. Quare nō recte increpāt ii qui cūcta dici similiter putāt, ut inter calceū ac manū id sit mediū, quod neq; calce⁹ est neq; man⁹, cū & id qđ neq; bonū est neq; malū, mediū sit inter bonū & malum, atq; adeo ut aliquid sit sine vllō discrimine mediū inter cūcta. Nō autē necesse est id ipsum accidere. Ipsa. n. oppositorū simul negatio, eorū est sane, quorū est quid mediū & interuallū quippiā aptū esse. At horū nō est differētia. in diuersis nāq; generib⁹ collocat, ad q̄ sane nō huiusmodi negationes accommodat. quare nō est ipsorū vnū subiectū.

Restat igitur ut ipsa aut ut negatio, aut ut priuatio opponatur. Postq̄ æqualis cū maiore & minore oppositionē nō esse cōtrarietate docuit, superesse ait, ut ipsa vel quasi negatio, vel quasi priuatio opponatur. Neq; tamē dictu verū esse, alterutro modo æquale maiori tātū opponi, aut solū minori. cur. n. vni & nō ambobus opponat? soluit igitur propositā quæstionē dicēs (vtrorūq; ergo negatio est priuatiua). i. æquale igitur & maiori & etiā minori opponit ut negatio priuatiua. æquale. n. negatio est maioris & minoris: cū sit æquale, quod neq; maius est neq; minus: quāobrē ipsis opponi dicitur ut negatio priuatiua. ad ambo exēpli gratiā vtrū est æquale, an maius vel minus: ad alterutrū vero solū nō dicitur vtrū. Neq; enim dicimus vtrū est æquale, an maius: nec rursus, vtrū est æquale, an minus: (Sed semper tria). i. sed semper vtrū dicitur ad tria, nō ad duo: ut vtrū est æquale, an maius minusve? P̄ res autē æquale negationē esse priuatiuā maioris & minoris, infert, nō tamē necessario priuationē esse. neq; enim omnē rē æqualē esse vel maiore minorēve. quo in loco negationē priuatiuā appellat, q̄ in vno prædicamēto verū a falso discernit, cū in ceteris falsa sit simul cū affirmatione, ut æquale in sola quātitate. Nā omne quantū æquale est, vel maius aut minus, in cæteris falso vsurpatur. Albū enim neq; est æquale, neq; maius vel minus. est igitur priuatiua negatio, vel priuatiua priuatio (nā vtroq; modo scribit) ea quę in vno prædicamēto cū sua affirmatione falsum discernit a vero. Necessaria vero priuatio siue negatio est, quę in cūctis entibus & nō entibus falsum seiungit a vero: quę quidē est proprie negatio. hæc. n. negatio, æquale nō est, cū opposita affirmatione æquale est, verū a falso in cūctis rebus fecernit. Nā si affirmatio, anima est æqualis, falsa sit, vera erit negatio, anima non est æqualis. æquale igitur nō est priuatio necessaria, cū nō in cūctis reb⁹ verū a falso discernat, quoniā nō omnis res æqualis est, vel maior aut minor. neq; n. anima, neq; albū est huiusmodi, sed quibus æquale cōuenit, cōuenit autē quāto, siquidē quāti propriū est æquale & inæquale, in ijs verū & falsum seiungit. Est igitur æquale neq; magnū neq; parū, ut intelligat æquale magni & parui esse priuatio. Adiecit autē (aptū autē magnū vel parū esse) quasi diceret, nō omnē rē æqualē voco, sed quæ magna & parua esse apta est. Neq; enim animā æqualē dicimus, cū neq; magna, neq; parua esse possit, quippe quę partibus vacet & quātitate. vlnā æqualē dicimus, quoniā alteri vlnę est æqualis, & maior medietate, minor duabus. est igitur æquale neq; magnū neq; parū, & vtrūq; opponit ut negatio priuatiua. itaq; maioris & minoris mediū est. Itē quod neq; bonū est, neq; malū, bono maloq; opponit: nomine tamē vacat. Reddit autē causam quare nomine vacat, dicēs (pluribus enim vtrūq; dicitur modis.) Nā bonū & malū in decē prædicamētis versat, in substātia, in quāto, in quali, & in cæteris. quod si verū est, satis intelligit

Vtrum ad
quot dicat

Negatio
priuatiua.

Æquale
quid dicat

Nō omniū
habet me-
dium.

Cōnegatio
quorū sit.

medium esse indefinitū, ac proinde nomine carere: quoniam quæ incerta sunt, ea proprio vocabulo nō appellatur. (Sed magis id nomē habet, quod neq; albū est, neq; nigrum, tamen ne hoc quidē dicitur vnum.) cū fuscū atq; itē purpureū & viride, & cæterorū quodq; sit neq; album neq; nigrū, & tamē colores definiti sunt, & sub mensurā non admodum magnā, sed potius breuem cadunt. (In quibus hæc negatio dicitur priuatiue) hanc negationē dicit neq; album neq; nigrū, quam fuscū aut pallidū vel quidq; simile necessario esse ait. Ita cū huiusmodi negatio de ijs quæ in eodē genere ac prædicamento sunt, dicatur, nō recte accusantur qui negant manus & calcei mediū esse, quod neq; manus est, neq; calceus, ab ijs qui cōtra sentiunt, propterea quod inter bonū & malum mediū sit, quod neq; bonum est neq; malū. perperā igitur accusantur, quoniam non omniū medium habetur, neq; vt hoc accidat necesse est. (ipsa enim, inquit, oppositorū simul negatio) simul negationē vocans neq; bonū, neq; malū: quia simul vtrūq; negat, id est, & bonū & malū. simul negatio igitur est eorū quæ sine cōtrouersia sunt opposita, & quorū mediū & interuallū habetur, per quod ex hoc in illud efficitur mutatio: vt ex bono in malū, & ecōuerso. quare cū manus & calceus haud dubie nō opponantur, ipsorum nō potest esse simul negatio, quia neq; opposita sunt, neq; ipsorū habetur differentia, cū sint in diuersis generibus: & quorū habetur simul negatio, ea generi eidē subiiciantur. hic est enim sensus illorum verborū. (in diuerso nāq; genere quorū cōnegationes) Nisi enim sic exponantur verba hæc, nec intelligi poterūt, & cū dictis pugnant. Sed fortasse illud (in diuerso nāq; genere quorū cōnegationes) ita dictū est, vt aliquid desideretur. illustris, si post diuerso genere, addatur, nō sunt: vt tota dictio ad hūc modū habeat, in diuerso nāq; genere nō sunt ea quorū sunt cōnegationes. hæc autē, inquit, neq; opposita sunt, neq; ipsorū est differentia. quo in loco differentia appellat, qua genus diuiditur: vt cōcretiuū & discretiuū in colore, in animali mortale & immortale. Negat igitur manū & calcei haberi cōnegationē, quoniam ipsorū nō est differentia: causamq; reddit cur in ipsis nō sint differentia i oppositū diuise dicēs. in diuerso enī genere sunt. at quorū habetur cōnegationes, eidē generi subiiciūt. Et aliter, quorū habetur cōnegationes, horū vnū idēq; subiectū est. calcei autē & manus nullū est proximū subiectū.

Simili modo & de vno & de multis quispiā dubitauerit. Nā si ipsa multa ipsi vni simpliciter opponuntur, nōnulla impossibilia euenire videtur. ipsū enim vnū paucū aut pauca erit. ipsa nanq; multa & paucis aduersantur. Præterea ipsa duo sunt multa, si duplum multiplex est. Dicitur enim ab ipsis duobus. Quare fit vt vnū sit paucū. Ad quid enim aliud ipsa duo sunt multa, nisi ad ipsum vnū atq; ad paucū? Nihil enim aliud esse minus videt. Præterea vt in lōgitudine sese habet productū & breue, sic in multitudine sese habet multū ac paucū: atq; quicquid est multū, & etiā multa, & multa sunt etiā multū. Nisi ergo quippiā intersit in cōtinuo facilis terminationis, multitudo quædā ipsum paucū erit. Quibus efficitur, vt vnū ipsum multitudo sit quædā, si & paucū est: quod quidē necesse est esse, si ipsa duo sunt multa. At enim ipsa multa fortasse dicuntur, vt & ipsum multū, sed vt differēs, vt vnū dicitur quidē multū, non autē dicitur multa, sed dicitur in hisce quæ diuisibilia sunt. Atq; vno quidē modo si multitudo sit excessionē simpliciter aut ad aliquid habēs, & paucū ipsum identidē, si multitudo sit habēs defectiōnē. Alio vero modo vt numerus, qui & ipsi vni solū opponitur. sic enim vnum dicimus, aut multa, quæ admodū si quispiā vnū dixerit atq; vna, aut albū & alba, atq; mēsurata ad ipsam mēsurā. sic & multiplicia ipsa dicuntur. Multa enim ex eo quisq; numerus est, quia est multa vna, & quia est quisq; mēsurabilis vno, & vt id quod vni nō paucū opponit. Sic igitur & ipsa duo sūt multa, sed vt multitudo habēs excessū, aut ad aliquid, aut simpliciter nō sūt, sed multitudo sunt prima, pauca vero simpliciter. sunt aut multitudo prima habens defectiōnē.

Vnū, Mul-
ta, Paucū.

Similiter autē de vno & de multis quispiā dubitauerit. Cū differuisset quomodo vnū & multa op-
ponantur, atq; æqualis meminisset, quod est mediū inter maius & minus, disputationē repetit vni⁹ &
multorū, dicēs, id est, quæ admodū de equali maioreq; & minore, sic querat aliquis quomodo vnū atq;
multa opponuntur. Nā si simpliciter, inquit, & vtrūq; ea opponi putaueris, impossibilia quædā eueni-
ent. (Vnū enim paucū, inquit, vel pauca erit) paucū autē & pauca multitudo est, cū paucū multitudi-
nē, & pauca multitudines dicamus. porro multitudo diuidua est. vnū igitur diuiduū fuerit. At vnū ef-
se paucū, hinc arguitur, quod multa paucis opponuntur, duo autē multa sunt. q; si duo sunt multa, cui
paucū potius opponetur q; vni: certe nulli. duo igitur quæ multa sunt, vni vt paucū opponuntur. At
paucū multitudo est, multitudo vero diuidua, vnū igitur erit diuiduū. Duo autē multa esse certū est.
Nā duplū est multiplex, duplū autē a duobus nomē dupli mutuatur. duo igitur est multiplex. porro
multiplex multa est, duo igitur multa. quod si duo sunt plura, vnū vtiq; paucum erit. Ad quid enim
aliud duo dicentur multa, nisi ad vnū atq; paucū: vno enim nihil est neq; minus neq; magis paucum.
quare si duo multa sunt, vnū certe paucū est. præterea, inquit, vt in lōgitudine sese habet productum
& breue, sic in multitudine multū & paucum: atq; quicquid est plurimū, est etiā multa. nā plurima
multitudo multa est, & multa sunt plurima multitudo, cū multæ arbores plurima multitudo dicatur

(nisi quidpiam in continuo indeterminato) continuum indeterminatum vocat siquid humidū sit vt aqua vel aer. Quæ proprio termino indeterminata sunt, eadem alieno facile terminantur. alieno, id est vase, quo continentur. Humidum enim est, vt traditur in libro de generatione, quod difficile suo, facile alieno termino definitur. aqua igitur quæ continuum est indeterminatum, multum siue plurimum dicitur, multa non item. Si ergo paucum dicitur pauca, paucum multitudo quædam est, ac proinde vnitas est multitudo, cū paucum sit. Hæc effatus, docet quomodo vnum & multa opponuntur, simulq; captionem soluit, qua vnū multa esse concludebatur. Falsa est enim propositio quæ ait, omne multum est multa: ex cuius similitudine colligebatur omne paucum esse pauca. Multa igitur, inquit, fortasse sunt multū, & ediuerso, non tamen in omnibus, sed est discrimen. aqua enim multum dicitur, eadem negatur esse complura. (sed dicitur in hisce quæ diuisibilia sunt.) diuisibilia vocat non indiuisa quidem, quæ diuidi tamen possunt, sed quæ iam actu diuisa sunt. quæ igitur, inquit, actu diuisa sunt, in his multa dicere solemus. Itaq; vno modo dicuntur (si multitudo sit excessionem simpliciter aut ad aliquid habens) Nam centū homines multos esse dicimus, non simpliciter, sed ad decem cōparatos. qui centū tunc simpliciter multi esse dicerentur, si per se ac separatim, non decem comparatione considerarentur. similiter paucum dicitur ad eundem modum, si sit multitudo defectum habēs. Nam decem homines multitudo quædam sunt defectū habens comparatione centū. Alio modo multa dicuntur, cum est multitudo vt numerus: quia centum vnitates cū decem collatæ, multæ dicuntur, quod quidem multum vt numerus, opponitur vni, vt mensura mensurato. vnitas enim centies duplicata centum conficit. Sic nanq; in numero vnum & multa dicimus, vt si vnū & vna dicas, quoniam numerus decem est decies vnum, vt decem alba decies vnum album. Sūt ergo, inquit, multa vnumq; in numeris. (vt mensurata & mensura atq; mensurabile) mensuram autem & mensurabile pro eodem dixit. itaq; multa & vnum opponuntur, vt quæ ad aliquid eodem modo, id est, vt mensura & mensuratum, sic multiplicia dicuntur, quoniā vnusquisq; numerus multa est. est enim multa vna, vt numerus decem vna decem: quandoquidem numerus vno mensuratur, estq; numerus quisq; siue multiplex, quod in numero habetur, vt oppositum vni, non vt oppositum paucis: quandoquidem paucis multum quod est a numero alienū, opponitur. Duo igitur multa sunt, quasi ab vnitate mensurata, non autē vt multitudo excessum vel simpliciter vel ad aliquid habens, sed multorum quæ in numero habentur, duo est primū multum. Nam tria, quinque, viginti, & reliqua multa sunt, sed primum multum in numeris est duo. Duo igitur multū est primum, pauca vero simpliciter. hoc enim numero, si modo licet duo numerū appellare, nō est alter minor, cū vnitas omnino numerus nō sit. quod si dualitas simpliciter est paucū, cum sit multitudo defectum habens primū, vnitas certe nō est paucū: quandoquidem paucum multitudo est. porro si vnū paucū non est, falsa nimirū est propositio quæ ait, pauca paucum esse, & vicissim paucū pauca, ex qua colligebatur vnū esse multitudinem.

Vnum & multa quo modo opponuntur.

Quocirca non recte Anaxagoras dixit, erant res omnes simul & multitudine infinitæ & paruitate, sed pro & paruitate dicere ipsum & paucitate oportebat. Nō enim sunt versus paucum infinita, non ob ipsum vnum, vt quidam aiunt, sed ob ipsa duo. Opponitur igitur vnū multis, vt mensurabili mensura. at hæc opponuntur, vt ea quæ sunt ad aliquid nō per se. Aliis autē in locis distinximus ea quæ sunt ad aliquid, duobusq; diximus dici modis: alia vt contraria, alia vt scientia ad scibile, ex eo quia ad ipsum aliquid quippiam dicitur. Vt autem ipsum vnum sit aliquo minus vti duobus, nihil obstare videtur. Non enim si minus sit, cōtinuo est ob hoc paucū. Multitudo vero est vt numeri genus. est enim numerus multitudo mensurabilis vno, & opponuntur quodammodo vnum & numerus, non vt contraria, sed vt nonnulla eorum quæ sunt ad aliquid. Quo enim alterum est mensura, alterum mensurabile, hoc utiq; opponuntur. Iccirco non omne quod vnum est, numerus est, veluti si quid indiuisibile sit.

20 Quare non recte Anaxagoras dixit, erant res omnes simul & multitudine infinitæ.) Postq; multis paucum opponi docuit, & vicissim multa paucis, ac dualitatem simpliciter esse paucum, Anaxagoram taxat, qui nō debuit, inquit, omnes res simul fuisse dicere infinitas multitudine & paruitate, sed paucitate. quod si dixisset, non diceret ipsa infinita esse, quoniā paucum simpliciter est duo, duo autē non sunt infinita. Paucū igitur propter duo est, nō propter vnitatē, vt quidā aiunt. vnitas enim licet minor dicatur q̄ duo, non tamē dicitur pauca, propterea q̄ paucum in multitudine cōsideratur. sed Anaxagora obiter taxato, rursus ad disputationē redit de vno & de multis, dicēs (opponitur igitur vnum multis, vt mensurabili mensura.) quæ quidē vnum & multū numerorū opponuntur vt relatiua, nō vt per se relatiua, sed vt relatiua nō per se. Nā vt in libro quarto traditū est, relatiua partim sunt per se, partim nō per se. Per se, vt duplū & dimidiū: nō per se, vt visus & intellectus. Nā visus dicitur ad aliquid, non quod ipse alterius esse dicatur, vt oculi, sed quoniā aliud, id est visibile ad ipsum dicitur. & intellectus dicitur ad aliquid, nō quod ipse animæ intellectus esse dicatur, sed quoniā intelligibile dicitur ad ipsum. de quibus ego illic accuratius disputavi. Tale igitur vnū & multa opponuntur vt non per se relatiua. Alijs autē in locis, inquit, innuēs librum quartū, relatiua dupliciter dici ostens-

Anaxagoram taxat.

sum est, quædam ut contraria, ut duplum exempli gratia & dimidium: alia ut scientia & scibile. Scientia enim de numero relatiuorum est, non quod ipsa dicatur alterius, id est scientis, sed quia scibile dicitur ad ipsam. sed vnum, inquit, ut minus quæ duo esse dicatur, nihil prohibet. idem tamen paucum non dicitur. neque enim omne minus paucum etiam dicitur esse. (Multitudo vero est ut numeri genus.) Nam de multis, quæ in numero habentur, prædicatur, & de ijs etiam quæ sunt extra numerum. quomodo autem sit ut genus numeri, explicat dicens, (est enim numerus multitudo mensurabilis vno.) Nam decem, quæ multitudo quædam est, vno mensuratur. opponitur autem vnum & numerus, non ut contraria, sed ut per se, non per accidens relatiua, ut dictum est. opponuntur enim quatenus vnum est mensura, numerus vero mensurabile. quamobrem non quidquid est vnum & indiuiduum, est numerus, sed pleraque sunt vnum & indiuidua, ut ramenta quæ in solis radijs conspiciuntur, quæ tamen numerus non sunt, quanquam ipsorum fortasse numerus habeatur. Aut dictionis illius (idcirco non omnino quod vnum est, numerus est, veluti siquid indiuisibile sit) sensus est, non si numerus est vnum, protinus est indiuiduum: quoniam decem, ut numerus decem vnum est, tamen diuiditur in vnitates. itaque vnum & indiuiduum non est numerus. sed prior expositio pulchrior esse mihi videtur. Illud autem intelligendum est, multa in numero ipsum appellare vnitates quæ per se intelliguntur, extra numerum vero quæ ab vnitatibus nomen mutuuntur: ut decem viros, & similia.

Scientia autem etsi similiter ad scibile dicitur, non tamen similiter assignatur. nam scientia quidem mensura, scibile autem id quod mensuratur, esse videbitur. at fit ut scientia quidem omnis sit scibile, non omne autem scibile sit scientia, propterea quod scientia aliquo modo ipso scibili mensuratur. Multitudo vero neque paucum est contrarium, sed huic multum opponitur, perinde atque multitudo excedens multitudini quæ exceditur, neque vni omnino, sed vnum aliud est, ut dictum est, diuisibile, aliud indiuisibile. Quod est ut ad aliquid, ut scibile ad scientiam, si numerus sit, ipsum autem vnum mensura.

Scientia, mensura. Vnum, ad aliquid quid est.

Scientia autem etsi similiter ad scibile dicitur, non tamen similiter assignatur. Ut vnum dicitur ad multa, dicitur autem ut mensura ad mensurabile, sic, inquit, scientia dicitur ad scibile, non tamen similiter. Nam ut vnum est mensura, sic scientia mensura esse videtur, cum non sit. potius enim a scibili mensuratur. Nam videri, inquit, potest scientia esse mensura, scibile autem mensuratum, fit tamē ut omnis scientia scibile sit. Nam cum scientia comprehendit cognoscitque scibile, quodammodo efficitur scibile, scilicet quod vere est scibile, quemadmodum intellectus intelligibile. Scientia enim a scilibus, intellectus ab intelligibilibus perficiuntur: ut in libro de anima demonstratur. At scibile non est scientia. quamobrem scientia quodammodo scibili mensuratur. Sed de hoc supra commemorauit, ubi horum erat opportunus locus, & nos illic de ipsis differuimus. Sed multitudo, inquit, neque paucum, neque vni contrarium est. hoc enim est quasi genus. (sed huic) id est, paucum multum opponitur, ut multitudo excedens multitudini excessæ. Vnum autem, quemadmodum dictum est, quoniam vnum, ut diximus, aliud est diuisibile. Nam cubitale vnum cum magnitudo sit, diuidi potest. Aliud vnum est ut ad aliquid, quemadmodum vnitatis numeri mensura est, mensura vero de numero relatiuorum habetur, ac proinde huiusmodi vnum est relatiuum. Vni ergo diuiduo multum opponitur ut paucum, indiuiduo autem non opponitur. Aliud ergo vnum, inquit, est indiuiduum, quod est ut ad aliquid. quomodo autem vnum sit ad aliquid, exemplo declarat, dicens (ut scientia ad scibile, sic numerus sit, ipsum autem vnum mensura) id est, quemadmodum scientia & scibile sunt relatiua, sic in numero intelligendum est. sit enim scientia numerus, scibile autem vnum & mensura. scientia igitur siue numerus & scibile quod est vnum, de numero relatiuorum sunt.

Finis libri Noni, id est τοῦ ἰσῆτα, desideratur.

Cum autem inter contraria medium aliquod esse possit, atque inter aliqua sit, ipsa media ex contrariis esse necesse est. Omnia enim media eodem in genere sunt, & ea inter quæ media sunt. Nam ea media dicimus, in quæ prius id quod mutatur, mutetur necesse est: ut in fidibus si ex prima trāseatur ad vltimā, paucissima ratione prius ad sonos medios accedatur. & in coloribus si ex albo in nigrum itur, prius ad rubeum & fuscum quæ ad nigrum peruenietur, & in cæteris simili modo. At non fit ut in aliud genus ex alio, quicquid mutetur, nisi per accidens, ut ex colore in figuram. sint ergo media ipsa, & ea quorum sunt media, genere in eodem necesse est. at vero media cuncta, oppositorum quorundam sunt. Ex his enim solis per se fieri mutatio solet. quapropter impossibile est inter non opposita medium esse, alioquin mutatio & ex non oppositis fuerit. In his autem oppositorum nullum est medium quæ contradictorie aduersantur. Est enim cōtradictio ea nimirum oppositio, cuius altera partium adest,

nō habentis mediū vllum. Cæterorū autem alia relatiue, alia priuatiue opponuntur, alia contraria sunt. Atq; relatiuorum ea quæ non contraria sunt, medium sane non habent, propterea quòd non in eodem genere collocantur. Quid enim inter scientiam scibileque medium esse potest? Sed inter magnum & paruum esse videtur. Quod si ipsa media genere in eodem sunt, vt ostendimus, atq; inter contraria cadunt, ex hisce porro cōtrariis ipsa componātur necesse est. Aut enim aliquod genus, aut nullum erit ipforum. & si erit genus hoc pacto, vt sit ipsis quippiam contrariis prius, eæ differentiæ priores erūt contrariæ, quæ contrarias species vti generis sane fecerunt. Ex genere nanq; differentiisq; species ipsæ constant, veluti si album & nigrum contraria sunt, & alterum disgregatiuus, alterum congregatiuus est color, hæc differentiæ priores sunt, disgregatiuum inquam, atque congregatiuum. Quare hæc priora contraria sunt. At vero ea quæ contrarie differunt, magis contraria sunt. Atq; reliqua & media ex genere differentiisq; cōstabit, ceu colores omnes qui sunt inter album & nigrum, ex genere constare, quod quidam est color, & ex quibusdam differentiis dicantur oportet: hæc vero non erunt ipsa contraria prima. Alioqui album vnumquodque erit, vel nigrum. erunt igitur aliæ. hæc ergo inter ipsa prima contraria erunt. Primæ autem differentiæ disgregatiuum sunt & congregatiuum. Quare in hisce contrariis primo quærendum est, quæ non in genere sunt, ex quonam ipforum media sunt. Ea enim quæ genere in eodem sunt, ex incompositis genere cōstare, aut incomposita esse necesse est. Ipsa igitur contraria ex sese mutuo componi nō possunt, quare principia sunt. Media autem aut omnia sunt composita, aut nihil. Ex contrariis vero aliquid fit. Quare in hoc erit antea mutatio quàm in ipsa. Erit enim magis minusve tale, quàm extremorum vtrunque. ergo & hoc contrariorum medium erit. Et cætera ergo media composita sunt vniuersa. Quod enim minus quàm hoc, & minus quàm hoc est tale, id ex hisce quoquo modo cōstat, respectu quorū illo dicitur modo. At cū alia prima contrariis nō sint sub eodē genere collocata, omnia profecto media cōposita ex cōtrariis erūt. quare cūcta infra & cōtraria & media ex cōtrariis primis cōstabit. Media igitur vniuersa genere in eodē esse, & inter cōtraria collocari, cōpositaq; ex cōtrariis esse, dilucidū iam per ea quæ diximus, fuit. At vero quod diuersum est specie, est quid ab alio diuersum, atq; id cōpetat vtriusq; oportet. Si enim animal diuersum sit specie, ambo animalia sint oportet. Ea ergo quæ diuersa sunt specie, genere in eodē esse necesse est. Tale enim genus appello, quo ambo vnū & idē dicuntur, nō per accidens differentiā habens, siue sit vt materia, siue aliter. Non enim solū ipsum commune cōpetere oportet, ceu ambo animalia esse: sed etiā id ipsum animal diuersum vtriusque competere, veluti alterum quidem equum, alterum autem hominem esse. Quapropter hoc commune, diuersum inter se specie. Erit igitur per se alterum quidem tale animal, alterum autem tale, ceu alterum equus, alterum homo. Hanc igitur differentiam, diuersitatem generis esse necesse est. Dico enim generis differentiam diuersitatem, quæ id ipsum diuersum facit. Hæc igitur contrarietas erit. Patet autem & ex inductione: Vniuersa enim oppositis diuiduntur. Atque demonstratum est ipsa contraria eodem in genere esse. Contrarietas enim differentia erat perfecta. differentia autem quæ est in specie omnis, est quid alicuius. Quare hoc & idem & genus est in ambobus: idcirco & in eadem serie prædicamenti cūcta contraria sunt, quæ specie, & non genere differunt, atque inter sese maxime sunt diuersa. Est enim differentia ipforum perfecta, & simul non fiunt. Differentia ergo contrarietas est. Hoc est ergo diuersa specie esse, indiuidua genere in eodem esse, atque contrarietatem habere. At eadem sunt specie, quæ indiuidua quidem sunt, contrarietatem vero non subeunt. In ipsa nanque diuisione, atque in ipsis mediis contrarietates emergunt, anteaquam ad indiuidua accedatur. Quare patet nullam specierum quæ sub genere collocantur, ad id quod appellatur genus, aut eandem, aut diuersam specie esse, & congrue sane. Materia nanq; negatione significatur ac declaratur, & genus materies est eius, cuius genus dicitur esse, non vt id quod est Pelopidarum, sed vt id quod est in natura: nec etiā ad ea quæ non in

eodem genere collocantur, sed ab illis quidem genere different, ab hisce vero quæ sub eodem genere collocantur specie. Differentiam enim contrarietatem esse necesse est, non specie differre: hæc autem hisce competit solis, quæ sub genere eodem sunt collocata. Dubitauerit autem quispiam, cur vir & mulier non specie differunt, cum mas & foemina sint contraria, & differentia sit contrarietas? Neq; mas & foemella diuersum est animal specie: est tamen hæc differentia per se animalis, & non vt albedo aut nigredo, sed ipsi mas & foemella, vt est animal, competunt. Est autem hæc fere eadem dubitatio, cur contrarietatum alia diuersum specie facit, alia non facit. Nam gressibile volatile que facit, albedo & nigredo non facit. An id ex eo fit, quia alia proprii sunt generis affectus, alia minus? Atq; cum aliud sit ratio, aliud materies, quæ contrarietates in ratione sunt, ex specie differentiam faciunt. Quæ vero in eo sunt, quod simul est cum materia sumptum, ex non efficiunt. Quapropter hominis albedo differentiam non facit, neque nigredo, nec est hominis albi specie differentia ad hominem nigrum, neq; si nomen vnum positum fuerit. Est enim homo vt materies, materia vero differentiam non facit: homines enim non sunt hominis species. Quapropter etsi carnes diuersæ sunt, atque ossa, ex quibus hic & hic constat, totum tamen diuersum quidem est, sed specie non est diuersum, propterea quod in ipsa ratione nõ est cõtrarietas. hoc autẽ est vltimum indiuiduum. Callias vero ipsa ratio est cum materia, & ipse igitur albus homo est, quia Callias est albus. Ipse ergo albus homo per accidens est. Neq; igitur æneus circulus atq; ligneus, neq; triangulus æneus circulusq; ligneus ob materiam differunt, sed ex eo sane, quia in ipsa ratione est contrarietas. A tenim quærendum est, vtrum materia diuersa nõ faciat, quæ quidem quodammodo est diuersa, an aliqua ex parte faciat. Cur enim hic equus ab hoc homine diuersus est specie, rationes tamen ipsorum cum materia sunt? An ex eo diuersus est, quia in ratione est contrarietas? Etenim albi hominis & equi nigri est differentia specie, sed non vt hic est niger, & ille albus. nam si alba etiam essent ambo, diuersa profecto specie similiter essent. Mas autem atq; foemella proprii quidem affectus sunt animalis: at non per substantiam, sed in materia, corporeve. Quapropter idem semen aut mas fit, aut foemella, aliqua passione affectum. Quid igitur est specie diuersum esse, & quamobrem alia specie, alia non specie differunt, satis iam explicauimus. Cum autem contraria specie sint diuersa, corruptibile vero atque incorruptibile sint contraria (est enim priuatio in potẽtia definita) corruptibile sane atq; incorruptibile genere diuersa esse necesse est. Atq; nunc quidem in ipsis hoc nominibus vniuersalibus diximus. hoc autem pacto videbitur non necessarium esse, corruptibile quoduis atque incorruptibile diuersa specie esse, quemadmodum neque album & nigrum. Fit enim vt idem sit album & nigrum, & simul, si quippiam vniuersalium sit. Homo enim & albus & niger erit, & non simul, si singulare quippiam sit. Idem enim & albus & niger non simul erit. Attamen album & nigrum contraria sunt, vt patet. Veruntamen contrariorum alia quibusdam per accidens competunt, qualia sunt & ea quæ nuper diximus, & alia sane complura. Alia impossibile est illo competere modo, quorum de numero corruptibile est ipsum, atq; incorruptibile. Non est enim corruptibile quicquam per accidens. Etenim ipsum quidem accidens potest non esse, corruptibile autem de numero est eorum quæ hisce quibus competunt, necessario insunt. vel idem & vnum corruptibile atq; incorruptibile erit, si fieri potest vt corruptibile ipsi non insit. Ipsum ergo corruptibile aut substantiam esse cuiq; corruptibilium, aut in substantia esse necesse est. Eadẽ est profecto & de incorruptibili ratio. ambo enim ex hisce sunt omnino, quæ necessario competunt. Quo ergo & ratione qua primo aliud est corruptibile, aliud incorruptibile, hoc oppositionem habent. Quare necesse est diuersa genere esse. Quæ cum ita sint, patet fieri nõ posse, vt tales sint formæ, quales quidam inquirunt esse. Non enim alius homo corruptibilis, alius incorruptibilis erit, & tamẽ ipsæ formæ, & hæc eiusdem esse species dicuntur, & non diuersas rationes subire. Ea vero quæ genere sunt diuersa, plus distant, quàm ea quæ specie sunt diuersa.